



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Sacrum Misericordiae Palatium

Variis Sacrae-Scripturae Locis, Atque Septem misericordiae operibus quasi
peristromatibus exornatum

Gzaeus, Nicolaus

Augustae Trevirorum, 1618

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54477](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54477)




Th. 3179.

J VI

20







SACRVM
MISERICOR-
DIÆ PALATIVM.

VARIIS SACRÆ-SCRI-
PTURÆ LOCIS, ATQVE SEPTEM
*misericiordiæ operibus quasi peristroma-
tibus exornatum.*


Liber Collegij Societatis IESV Ladorbana

AVCTORE V. P. F. NICO-
LAO GAZZO, ORD. MIN.
Reg. Obs. Religioso, ac Sacræ
Theologiæ Lectore.

NUNC PRIMVM GALLICO IDIO-
mate in Latinum conuersum per F. Ioannem
Schilbert eiusdem Ordinis Religiosum
ac S. Theologiæ candidatum.

AVGVSTÆ TREVIRORVM
apud I. SCHLEVTER Archiepisco-
palem Typographum &
Bibliopolam.

ANNO M. DC. XVIII.




AD LECTOREM.

Etsi facile coniciam (candide Lector) permultos fore, qui non vsque adeò hūc nostrū quantuluncūq; laborem probaturi sint, quibus scilicet, nihil aliud, quàm actum agere fortassis videbor, quod nimirum opus ab alio editum, ex Gallico idiomate in Latinum dumtaxat cōuerterim, non tamen ideò, ab huiusmodi labore deterrebor, quominus inchoatum opus perficiā. Neque enim prout nouit DEVS scrutator cordium ob vanam aliquam gloriam eiusmodi opus aggressus fui, sed quod sperarem, me quā plurimis Gallici idiomatis ignaris pergratum præstiturum obsequium. Hic noster quantuluscunque labor, non modio cre, vt spero diuini verbi præconibus emolumentum afferet, pro expositione quintæ Beatitudinis; Beati scilicet Misericordes quoniā ipsi Misericordiam consequentur, & nonnullorum aliorum sacræ scripturæ locorum. Iuuabit quoque eos qui se infirmorum curæ dedūt, vt qualiter se erga eos habere debeant

beant intelligant. Lutheri quoque, & Caluini falsà circa opera Misericordiæ doctrinam deteget, qui tam impiè quàm blasphemie asserebant opera Misericordiæ à viris iustis facta, mortalia peccata esse. Ad nonnullos etiam Gentilium, Iudæorum, & Hæreticorum circa sepulturam mortuorum errores comprimendos instituet, & ad Catholicorum circa funeralia mortuorum abusus redarguendos instruet. Quædã te præmoneo (Cãdide Lector) omisi, quæ superiorũ meorum consilio, & instinctu breuitati studere volens prætermisi; orationes scilicet ad Communionem præparatorias, ad sanctissimam Trinitatem, Beatissimã Virginem Mariam, Diuum Michaëlem, Angelum custodem, nec non pro infirmis diu laborantibus, ab astantibus pro eorum salute ad DEVM fundendas quod sufficientes de hac re libros extare compertum haberem. Nonnulla etiam alia omisi, quæ ad Parochos in administrando, cum Eucharistiæ, tum Extremæ Vnctionis sacramento spectant, quæ in sacerdo-

cerdotali Romano requirere poteris.
Quisquis igitur (Amice Lector) in hunc
quantulumcunque libellum incidere, si
gratum opus non fuerit, gratus sit tibi la-
bor & animus qui cunctis gratificari, &
putavit, & optavit. Quod si placueris
animum ad aliud opus aggredien-
dum addes. His tantisper
fruere & Vale.



RELIGIONE PROBITA-
TE ET ERVDITIONE CLARO
PATRI FRATRI IOANNI SCHIL-
BERT Minoritæ Luxemburgensi gratu-
latorijs versibus infrascriptis applaudit
Frater Ioannes á Castro Mino-
rita Luxembugicus

Magnificas ades sublimi vertice condunt
Componuntq; duces Regia tecta fabri.
Lucida concinnant adamante palatia pulchro,
Qua candore suo nobile vestit ebur,
Aedificant arces solidas, illustria valla
Se basibus firmis fortia castra struunt.
Tu melior, Schilberte, faber. tu doctior arte
Eximia fulgens lumine condis opus,
Construis excelsam fabricam, turmæq; proborū
Empyreï regni tecta superna paras,
Tecta fabri non firma parant, firmissima sed tu
Sidereo prudens culmine tecta paras.
Qua non concutiet Boreas, non Saeva procella
Vulnere nec lingua Zoilus icet atrox
Magna parauisti, poteris maiora parare,
Tecta faber, summi si fauet aura DEI,
Ingenio polles, nec eges calcaribus, Euge
Perfice succurret Numinis ampla manus.


A-
RO
L-
cu-

ri.
o,

rio

tio

scri
p
cia
cia





DEVOTA AD VIRGI-
NEM MARIAM MISERI-
CORDIÆ MATREM SUP-
plicatio.

N fideles, naturæ dumtax-
at lumine illustrati, arduū
nihil, nullum momenta-
neum aggrediebātur, nisi
dijs (quos immortales ar-
bitrabātur) litatum esset:

Et ego Christianus, sacrae fidei lumine,
perlustratus, sacrorumque dogmatum sci-
entia imbutus, misericordiae splendidum
exstructurus, palatium, (palatium dico
quoniam in Caelis misericordes sibi domi-
cilium parant) audebone prius terram in-
tueri, quam caelum ut auxilium & opem
ferat, implorauero? Nequaquam, sed Di-
uum Bernardum docentem, discipulus ma-
gistrum sequar, qui ait: *Aspice stellam vo-* Sup. missus est.
ta Mariam. Hanc intuebor, huic syde- hom. 2.
rex claritati adhærebo. Agedum Regale
Christi palatium, misericordiae fons & o-
A rigo,

2 SACRVM MISERICOR.

rigo, Virginitatis mater, ad tuę charitatis, pedes prostratum, tuę bonitatis pedibus aduolutum ne despice. Fer auxilium quod supplico, fer opem quam deprecor. Nihil enim sine te possum, nisi tuo fultus adiutorio ad scopum operum meorum primitias deducere non valebo, tanto enim arbitror me prorsus indignum honore. Ideo verbi mater, Virgo immaculata, vota suscipe preces exaudi; Quis enim votorum suorum finem assequetur non inclinatus? Si ut ait Aristippus cuidam quem Dionysius^a exspectationis spe fraudauerat Reges & Reginę in pedibus aures habent; quis cristallini fontis per amęna herbarum decurrentis aquam nõ curuatus haurire potest? Et ideo tuę bonitatis pedibus aduoluo, vt misericordię potatis aquis, eructem fontem, misericordię palatio adiutorę, quod quidem exstruere volens, quam decentius patronam suscipiam quàm ipsius misericordię matrem? Illa namq; est quę filium vt operi gratiam, ædificio augmentum cõferat, imploratura est. Te itaque solam intueor misericordię Reginam, te solam rogo & deprecor hac Ecclesię voce: *Illos tuos misericordes oculos ad nos conuerte.* Conuerte oculos, nec auertam ego, nulla enim
crea-

PALATIVM.

3

creatura est quæ longitudinē, latitudinem,
 profunditatē, misericordię sic inuestigare
 potest quemadmodum compræhendisti,
misericiordię siquidem patrem mensibus no- *2. ad Corinth.*
uenæ aluo sacratissimo inclusum portasti, 10.
 qui Psalmista testate misericordiæ largitor
 est & dator: *Suscipimus Deus misericordiam* *Psal. 47.*
tuam in medio templi tui. Si Christum mise-
 ricordiam Dei &c. profiteamur: ait Bernard:
 si eiusdem Christi Dei & hominis genitri-
 cem agnoscimus, cur non charissimam &
 sanctissimam eius genitricem hoc etiam
 honore dignabimur, ut misericordiæ ma-
 trem prædicemus? Quod cum ita sit tuo
 me dignare fulcire pia mater patrocinio ut
 hoc opus quod te fauente aggredior Le-
 ctorum cordibus misericordiæ & charita-
 tis imprimat opera. Ne quæso solitum
 subtrahas auxilium, sed memoriæ sterili-
 tatem, misericordiæ fonte refrigera, con-
 ceptibus meis faue, calamum tuo, tuique
 Filij, & precipuè quidem mancipatum
 obsequio dirige, cui soli honor
 erit, mihi labor mer-
 ces erit.

A 2 PRI-



PRIMA RATIO QVA AVC-
TOR AD HVIVS ÆDIFICII
structuram inductus fuit.

1. Ratio.

QVemadmodum nauta sedulus, nauim exstruere volens, syluam ingreditur, in ea se vertit, inuertit, singulas arbores lustrat, vt ligna ad nauis constructionem apta reperiatur: Ita charitatis ædificium constructurus, non ligna solum, sed lapides, cœmentum, reliquaque mihi ad id opus necessaria perquiro. Et quoniam nisi dato fundamento in altum surgere non valet ædificium, ideo Angularem lapidem, fundamentalem basim inquiro. Quis mihi lapis erit? Tu bone Iesu quoniam *potens es in misericordia*, dirige me vt huic operi decens iaciam fundamentum, dirige me, quia hoc summopere exopto, & votis omnibus desidero, siquidem (vt cum mellifluo Doctore D. Bernardo loquar) sine te nihil possum. *Nam si scribam nihil mihi sapit, nisi ibi legero Iesum.* Vt igitur hoc opus dignè construam, tu mihi quadratus, angularisque lapis, super quem Charitatis construam ædificium, tu populo Christiano

Ephes. 2.

Inferm. sup.
Cantic.

stiano ædificationis non reprobationis
 (quemadmodum Iudæis) lapis eris. Tu mi- *Ephes. 2.*
 hi rupes quam ad instar Moysis (non virga *Isai. 28.*
 tamen) sed calamo percutiam, vt inde sali- *Exod. 27.*
 ant Aquæ gratiæ quibus cœmentum huic
 ædificio aptum conficiam, In te itaque &
 per te incipiam, ordiar & aggrediar, ædifi-
 cium, prototypum quem dedisti assiduè se-
 quens, cum dixisti: *Estote misericordes;* *Luc. 6.*

Nullum tempus, nulla ætas fuit, in qua
 huiusce misericordiæ viscera mortalibus
 non commendaueris: tam antiqua quam
 recentia Scripturæ loca legenti, patet. Vn-
 de Diuinæ voluntatis sedulus preco. D.
 Paulus, Colossenses hunc in modū admo-
 nebat: *Induite vos sicut electi Dei, Sancti & Coloss. 3.*
dilecti, viscera misericordiæ multisq; in alijs
 locis idem intōnabat, tum ad Corinthios,
 tum ad Galat: scribens; dicit enim quodam
 in loco: *Estote imitatores mei sicut & ego 1. Corinth. 4.*
Christi, quasi diceret, iam construenda sunt
 charitatis palatia, iam expandenda sunt mi-
 sericordiæ viscera, Christus siquidem ope-
 re exercuit & ego prædicauit & docui. O mi
 Iesu! tua, in hac misericordiæ sœmita, vesti-
 gia amplecti desidero, vasis electionis do-
 ctrinam sequi peropto. Huc me vocat il-
 lud Serenissimi principis Ernesti Bauariæ

6 SACRVM MISERICOR.

ducis Templum, qui dicto ducatus (quod erat OMNIA) relicto, sibi assumpsit auream hanc saluatoris sententiam: *Estote misericordes, sicut & pater vester misericors est.* Vnde iure dicere potest: *Ecce nos reliquimus OMNIA & secuti sumus te, quid ergo erit nobis?* Huius inquam voce pertractus, huius noui prædicatoris, non Minoritæ, non Capucini, non Augustiniani, Sed Ernesti Dei & Apostolicæ sedis gratia Archiepiscopi Coloniensis, Sacri Romani imperij per Italiam Archicancelarij, & Principis Electoris; Episcopi Leodiensis; Comitum Palatini Rheni; ducis vtriusque Bavarie, Wespaliæ, Angariæ, & Bullonij, &c. sermone doctrinaque attractus, ad hoc opus incipiendum perlustrata sæpèque reuisa misericordiæ Leodiensis domus, incitauit. Nam cū ego inter cæteros Dei præcones minimus, Serenissimo Principi famularer & in Ecclesia S. Nicolai propè Domum misericordiæ quæ olim Domus erat Principis verbum Dei populo Euangelizarem; quoties Domum illam prætergrediebar, toties huiusce misericordiæ grata mēti, sese proponebat recordatio. Videbam enim Domum olim regiam in quam Serenissimi Principis curia habitare consueuerat, pauperum,

perum, Languidorum, Ægentium fieri diuersorium. Qualis metamorphosis! Domus principis, Hospitium fit Charitatis, quæ teste D. Paulo semper Ædificat: *Charitas adificat*, non domos vetustate collapsuras sed in æuum permanuras; Sic testatur Chrysostomus: *Domos enim adificat in cælis* *Hom. 33. ad pop. Antioch.* Hanc Charitatis structuram vidit Gad, Candophori Indiarum regis Frater, qui per D. Thomam suscitatus splendidum palatium, auro quod S. Thomas sibi datum pauperibus distribuere, constructum esse in cælis testatus fuit. Refert etiã D. Gregorius. Palatiũ quoddam in cælis constructum fuisse cuidam religioso Deodato nomine qui singulis Sabbatis, quæ *Lib. 4. Dial. c. 36.* supererat victus, & vestitus pauperibus erogabat, ideoque singulis sabbatis huic structuræ operarij operã dabant. Hæc igitur charitas quæ edificat, quæ me ad sui famulatũ attraxit. Hæc prima sit ratio operis mei, his namque perductus opus tantũ, tamque sublimè aggredi ausus sum, stylo tamen sterili & inerudito facundiã namque sæcularẽ odi quæ potius virtutẽ adumbrat quã illustrat cum tamen, virtus nuda perspicere desideret. Hæc inquam prima fuit ratio. Secunda Institutio est quam sequentibus exponam.

8 SACRVM MISERICOR.



INSTITVTIO CON-
FRATERNITATIS MISE-
RICORDIÆ IN ALMA NOBILI-
que Ciuitate Leodiensi erectæ, per Sere-
nissimum Principem, Ernestum Leo-
diensis Ecclesiæ Episco-
pum.

ERnestus Dei gratia Electus & confir-
matus Archiepiscopus Coloniësis. Sa-
cri Romani Imperij per Italiam Archican-
cellarius & princeps elector, Episcopus
Leodiensis, Administrator monasterien-
sis, Hildishemensis: Frisingensis Stabulen-
sis: Comes Palatinus Rheni, Dux vtriusq;
Bauariæ, Westphaliæ, Angariæ, & Bullo-
nij, Marchio Francimontensis Comes Lof-
fensis, Hornensis &c. Salutem in Domino
perpetuam. Quoniam in plerisque, immo
& in omnibus nostræ diœcesis, patriæque
Leodiensis partibus ingruentia mala; bel-
lorum tempestatibus, pestis afflictionibus,
& aliorum morborum generibus, Domos
multas ad extremam redêgere inopiâ; hinc
est quod ex paterna sollicitudine tantis pe-
ricu-

riculis malisque obuiare volens, iam dudum inquisitum modū, (non in sciens quantum, Deo misericordiae arrideant opera) elucidare volui. Licet autem iam pridem his malis obuiassemus, atq; ex parte afflictis refrigerium quoddam indidissemus; tamen temporum ingruente malitia, Deiq; in nos (quam nostris peccatis prohi dolor! saepe prouocauimus) saeuente vindicta; maiora maioribus malis exquirenda sunt remedia, tum vt in pauperes misericordiae pandamus viscera, tum vt Dei omnipotentis flectatur ira. Quapropter matura iam deliberatione cum pijs viris praehabita, confraternitatem, misericordiaeque sodalitium erigere statui (Quod foelix faustumque fit) cuius tota cura, totaque sollicitudo in infirmorum, susceptione, curatione, visitatione, consolatione, & denique in innumeris charitatis operibus versabitur. Et vt huic confraternitati per nos iam nouiter erectae incrementum, incrementiq; gratiam doneamus, propria manu testatum, me totamq; mihi subiectam familiam huic piaee consodalitati adscribo, Rogans per viscera misericordiae Dei nostri. Optimates, huiusque mundi diuites, quibus Deus sua clementia diuitias largitus est, vt se in hoc charitatis opere

Luc. 10

A § relar.

IO SACRVM MISERICOR.

re largos, munificosque præbeant, pauperibusque lauguidis subueniant, sicut nos pro posse subueniemus.

Quoniam autem nulla Ciuitas sine legibus stare potest, quasdam leges in gratiam confratrum stabilitas, inuiolabiliter obseruari præcipimus. Nemo itaq; ad hanc societatem recipiatur, quæ virtutis propriæ Sancta conuersatio non commendet: Qui inquam virtute præluens, alijs salutis remedia conferre non posset. Et quia nullus alteri mederi valet qui propria torquetur infirmitate, nolimus quenquã huic sociari cõfraternitati qui prius anteaactæ vitæ peccata, generali confessione nõ expiauerit (ni forte cõfessarij cõsilio omittenda videatur.

Quatuor Magistri Præsidentes nobiscũ eam gubernabunt, Duo Ecclesiastici, duo sæculares penes quos tota gubernationis cura iacebit. His decem alij assistentes erunt, qui è numero confratrum electi in causis expediendis statutisque erigendis nec non difficultatibus quæ oriri poterunt dissoluendis præerunt.

His duos alios adiungemus apud quorũ vnũ, Procuratoris munus requiescet, apud alterum vero Notarij officium manebit: qui ex sibi dato munere fideliter confratrum nomina rescribet.

Quo-

Quoniam autem non minoris momenti est rectè, Charitatis opera exercere quàm misericordiæ, sufficientia media adinuenire; ideò præcipua magistri cura erit, vt conditionibus fratrum examinatis decem instituat, quorum erit honestissimas (sed etiam inopes) ciuium, domos inuestigare, pauperibus subuenire, debiles fouere, languidis & pupillis commisereri.

Alios instituet qui certatim in ostijs & templorû foribus erunt, misericordiæ opera postulantes, quæ procuratori computanda, fideliter reddent. Alij deniq; instituentur qui pari fidelitate & synceritate elemosynas partitas, diuident & cuiq; prout eguerint, distribuunt. Quoniam autè in rebus charitatis cū gratia Dei semper procedendū est, ideò statuimus vt in tēplo quodam à Magistro deputato, Fratres congregati, audito sacrosancto missæ sacrificio, quæ necessaria fuerint discutiant.

Specialiter autem quater in anno conuenient vt quæ sunt agenda decernāt. Quarta verò Dominica post Penthecostē inuiolabiliter cōgregabuntur in quæ quoniã Ecclesia canit, *Estote misericordes sicut pater vester* *Luc. 6.*
misericors est; solemne officiū cum missa solēni recitabit. deinde fiet processio cui cōfratres

12 SACRVM MISERICOR.

tres omnes assistentes venerabile Sacramentum comitabuntur; quo etiam tempore Litaniam decantabuntur pro pace postulanda, pro extirpatione Hæresum & pro alijs necessitatibus occurrentibus prout iudicauerint faciendum. Vt autem non solum alijs exemplo præsimus sed vt quod imperamus facto nos ipsi exequamur: ideo Thesaurario nostro præcipimus vt in quilibet harum solemnitatum festiuitate viginti brabanticos florenos in communem eleemosynam largiatur, Fratres autem alij quatuor florenos in communem eleemosynam distribuent. Vt autem deuotio fidei incitetur, confratrumque iam admissorum magis ac magis augeatur, nos de Bonitate Dei confisi & Beatorum Apostolorum Petri & Pauli nec non S. Lamberti meritis innixi, misericorditer 40. dierum indulgentiam cui libet his diebus prædictis sacro assistenti tribuimus. Datum Leodij 15. Martij Anno 1602.

TER-

TERCIA RATIO QVA
AVCTHOR AD HVIUS
OPERIS CONSTRUCTIO-
nem perductus fuit.

QVamuis non minus arduum difficile-
que sit virtutum radiantium princi-
pē adnuenire, quam, amoenissimi prati om-
ni florum genere vestiti odoriferum flo-
rem, pulcherrimumque reperire; nihilo-
minus tamen misericordiam virtutū prin-
cipē quæ ad hoc opus me incitavit ausim
proclamare. Splendida quidem virtus est
fides, magna spes, verum has longe ante-
cellit misericordia. Ieiunium quidem præ-
stans est, at præstantior longe, misericor-
dia, hoc enim corpus sacrificat, hæc autem
cor totum offert cū corpore toto. Magnæ
efficaciæ sunt, Orationes, mortificationes,
obedientia, paupertas, paciëntia, & his simi-
les, sed quoniam sine charitate nihil sunt
ideo misericordiam facile principē, harum
virtutum esse dixerim. Hæc enim quasi na-
vis inter vndas, sic inter virtutes graditur
omnium præstantiarum culmina tangens;
ideo-

14 SACRVM MISERICOR.

ideoque igni rectè cōparatur. Nam quem admodū ignis inter cætera elementa principatum tenet, ita misericordia cæteris virtutibus præstat & præluet. Sola enim illa, Iustitia, meruit appellari. Audiamus Prophetam regium eius encomia referentem. *Dispersit* (inquit de iusto loquens) *dedit pauperibus iustitia eius manet in seculum seculi*, quasi diceret. Vere iustus prædicatur, qui bona sibi misericorditer erogata, pauperibus, pari misericordia largitur. Quantis laudibus extollant misericordiam antiqui quos recensebo aduertamus. D. Augustinus Oratorum Principem, Eloquentiæ patrem extollit, quia virtutum primatum, virtuti misericordiæ concessit dum inquit: *Nulla de virtutibus tuis nec admirabilior, nec gratior, misericordia est.* causam subiungit alibi: *Homines enim ad Deos nulla re propius accedunt.* Vnde etiã dicere solebat: Si misericordia, corporis oculis cerni valeret, totum, haud dubito mundum ad amorem sui alliceret. Quæ utinam videretur, ut vtriusq; Sexus ad misericordiæ suauitatē, ad Bauari ducis palatium, tam viri quam mulieres pertraherentur.

D. Ioannes Chrysofom: eam virtutum summam dicere non dubitauit. Psalmista autem,

Psal. 3.

Lib. 9. de Ciuit. c. 5.

Orat. pro Quint. Ligar.

Hom. 33. ad pop. Antioch. sup. Matt. 25.

autem, regis amicam, immo Reginam ipsam: *Astitit inquit regina à dextris tuis, lucide nunciauit.* Ad hæc, gratiarum dona confert, Paradisi ianuas patefacit, omnia denique virtutum agmina in se possidentem congregat & coniungit.

Idem D. Ioannes Chrysostomus alio in loco hanc virtutem, Salutis robur, fidei Anchoram, peccatorum remedium appellat, hæc virtus Sanctos roborat, iustos probat, electos Dei demonstrat.

Denique, nunquid pluris facit idem auctor opera misericordiae exercere, quam mortuos suscitare? nunquid hanc virtutem castitati præfert? Nunquid ea est quæ nos Iesu Christo adæquat? Nunquid ea est quæ pro nobis, patrociniatur? quæ aeris transcendit regiones? Quæ lunæ superat splendores? quæ radiantis solis adumbrat claritatem? quæ ad thronum vsque, summi Dei transuolat? Eleemosyna (inquit alibi gratiarum dona, procurat, distribuenti muncera confert, peccatis veniam donat, tenebras expellit, fomitem extinguit, venena mortificat, stridores dētium aufert, mater charitatis est, viam salutis demonstrat, scalam præbet. Hanc etiam multis alijs locis Ieiunio & Orationi anteponit. Quid obse-

cro

*Sup. Matth.
c. 9.*

*Homil. 3. 6. ad
pop. Antioch.
Hom. 33.
Hom. 34.
Hom. 60.
Hom. 65.
Sup. Matth. 19.
Hom. 36.*

*Hom. 9. de
Esenit:
Hom. 4. sup.
c. 2. Epist. ad
Philippen.*

Rom. 6. sup.
c. 4. & c. ad
Titum.
Lib. Offic.

cro aptius fecisse potuit, quam virtutem commendatissimam prædicare?

In Epist. ad
Timot.

D. Ambrosius, nihil esse refert, quo magis Christianus Deo valeat appropinquare, quam misericordiae virtute interueniente, ideoque Christianae disciplinae summam appellat: *Omnis (inquiens) summa disciplina in misericordia & pietate est.* Leo papa subiungit, *miseriordia tanta est virtus, vt*

In serm: ap-
parit.


sine illa cetera si sint prodesse non possint; quamuis enim quis fidelis, castus, & sobrius sit, & alijs maioribus ornatus virtutibus, si misericors tamen non est, misericordiam non meretur.

Serm. de Cura
paup.

D. Gregorius Nazianzenus virtutes cum floribus campi conferens, pulchras omnes, splendidas dicit esse vniuersas, vnam tamē, earum principem, iob splendorem nimium, misericordiam extollit & prædicat. Tanta denique huius misericordiae, dignitas est, vt Dei etiam proprium esse dicatur: *Deus cui proprium est misereri.* Hæc itaque virtus maneat princeps aliarum, nam licet charitas Deo summo opere arrideat, tamen quia illam misericordiae connectimus, nihil decoris, splendoris nihil naturæ virtuti aufert quin potius confert. Ita igitur duæ virtutes in vnam coalescentes me ad hoc mo-
uerant

In collect.

uerunt opus, quod sequentibus prosequar
enarrationibus.



QVOD MISERICOR-
DIA ADVERSVS INIMI-
CORVM CARNIS, MVNDI, IN-
ferni, Hæreticorum & malè loquen-
tium, impetum muniat.

CAPVT. I.

ARcem David fortissimã nemo olim
non mirabatur, *quoniam mille clypei* Cant. 4.
pendebant ex ea, & omnis armatura fortium;
Sed quis Domum olim Bauaricam, nunc
autem Misericordiæ palatium, non iustè
miretur? siquidem in ea domo non modo
armatura fortium dependet, sed etiam ipsi
fortes eam inhabitât. Quam domum quis-
quis introiuerit, statim à capite ad calces ar-
matur. Ei namque datur galea spei per quã
charitatis fortiter expectet retributionem:
pectorale, quo sustineat calumniantium
linquas; gladius fidei, quo viriliter miseri-
cordiæ opera exerceat: Lancea munitur
Perseuerantię vt vsque in finem vitæ bonis

B insu-

infudet operibus, vt sic munitus hostes, mundū, Carnem, Diabolum, atq; Hæreticorum, calumnias conterat, conquasset, & comminuat, tandemq; cœlestem adipiscatur Hierusalem, atq; superne ciuitatis gaudium consequatur, quod profecto non nisi fortibus tribuitur, *Regnum (enim) Cœlorum vim patitur & violenti rapiunt illud.* Sed nunquid per misericordiam rapere poterit quis regnum cœlorum? Imò sane & arripere, siquidem Angelo testante per misericordiam & Eleemosynam, comparatur.

Math. 11.

Tob. 19.

Epist. ad donat.

1. Ioan. 2.

Nunquid per misericordiam poterit Inimicos superare? imò dico & subiugare, & in seruitutem, redigere. Duobus solet modis mundus te inuadere, blanditur & applaudit *mundus* (inquit S. Cyprian:) *arripet, vt seniat; blanditur vt fallat; allicit vt occidat; extollit vt deprimat.* Quis infensissimum igitur, eum non iudicet inimicum? Hunc cauere suadet D. Ioannes; *Nolite diligere mundum!* Licet autē amicum amicus diligat, mundum tamen ne dilexeris ne forte post aliquod tempus, te ad instar mulæ Absalon in aëra eleuatum & suspensum deferat, montes pollicetur aureos

reos & subitò nascitur ridicul⁹, mus. Hunc 2. Reg. 18.
rectè deprimes, huius caput còteres si bo-
norum tuorum partem quandam in pau-
peres erogaueris.

Si vero inimici secundi iniurias euita-
re contendis, carnem mortifica, ciborum
condimenta repelle, vini nimietatem fu-
ge, vt his refici valeat pauper & egenus.

Si Diaboli impetum sustinere vis mise-
ricordiæ tibi scutum assume, *miseriordia* Eccles. c. 29⁹
namque super scutum potentis, & super lan-
ceam, aduersus inimicum pugnabit. & ita
hac munitus, vt Cedri, serpètes, vt fumus
abigit muscas, sic Diabolum in fugam
vertes. Nec dubium; nam si in mortis ar-
ticulo, Naturæ humanæ inimicus septem
peccata capitalia proponat, his oppone
septem opera misericordiæ, quibus non
solum inimici manus euades, sed nec
timebis mortem, *Eleemosyna namque* (vt Tob. 4.
ait Tobias) à morte liberat, & non patitur
animam ire in tenebras. D. Augustinus di-
ctum probat: *Ante fores gehenna stat* Lib 50. hom.
miseriordia & neminem permittit in carce- 39. hom.
rem mitti. Aureum os, Diuū inquam Ioan-
nem Chrysoftomum audiamus, mira refe-
rētē; *Eleemosyna ex mortis manibus eripit*

Hom. 33. ad
pop. *Et lampades nostras non sinit extinguere, nec sordidis indutos vestibus in nuptijs videri, sed lauat, Et niue mundiores reddit, si namque fuerint peccata nostra ut coccinum, velut nix dealbabitur, nec sinit eos decidere, ubi diues ille, nec audire verba tremenda, sed in Abrahæ sinum deducit. O dignam misericordiæ laudem! O mirandam oris aurei sententiam! videte misericordes, quomodo, illa vos proteget.*


Psal. 50. *Si autem peccatum quotidianum veris aduersarium, peccatum meum contra me est semper, inquit Vates Regius. D. Chrystoffomi. Doctrinam attende. Non est peccatū, quod non possit purgare Eleemosyna, quodue non possit extinguere, infra illam stat, remedium est ad omne vulnus utile.*

Hom. 25. in
act. *Danielis deinde consilium sequere, dicentis: peccata tua Eleemosynis redime. Si de fortitudine dubites, Ecclesiasticum audi vaticinantem; Eleemosyna peccatum destruit. Cū his concerta inimicis, viriliter vsq; in finem perseverans vt tandē dicere possis cum Apostolo Bonum certamen certavi, cursum consummaui fidem seruavi; ideo reposita est mihi corona iustitiæ quam reddet mihi in illa die iustus iudex. Agedum Confrater Misericors, viriliter certa & Valeriū magnum*

Dan. 4.

2. Tim. 3.

gnum audias loquentem. *Nam etsi gloriosum est hostem abigere; non minus tamen laudabile infelicis scire misereri.* Lib. 5.



IN EOS QUI CENSENT
OPERA MISERICORDIÆ
AD SALVTEM NECESSARIA
non esse.

CAPVT. II.

Qui infructuosa misericordiæ & charitatis censeat opera, nunquid nouiter cōstructum studet demoliri pietatis domicilium? Id etiam cæcus aduertet. Ideò arma fumam, veritatem propalabo, ad arma Fratres vos omnes conuoco, primum impiorum aduertite impetum infructuosa dicunt nec ad salutem necessaria Charitatis opera. Sed si ita est, cur ea nobis Dei filius commendauit? Cur misericordibus in extremo iudicij die dicturus est *venite benedicti patris mei? nō aliam sane ob causam, nisi quia sitiui & dedistis mihi bibere, esuriui* *Matth. 26.* & dedistis mihi manducare. Nunquid sufficientem vocationis præbet rationem? nunquid

B 3 quid

quid illud [*quia*] totum explicat retributionis modum? Quæ quidem dictio infortunium pariter demonstrat damnatorum:

Ibid.

Ite maledicti in ignem æternum, quia sitiui & non dedistis mihi bibere, esuriui & non dedistis mihi māducare. Hinc apertè claret quoniam iustis bonorum operum præmia tribuuntur, iniustos inhumanitatis, & Immisericordiæ supplicia consequuntur. Hinc inquam patet, quoniam Misericordiæ, opera Cæli ianuas pandunt, cœlestia regna recludunt, paradisi nobis gaudia comparant. Aduertat hæc impius homo. Hæreticus misericordiæ salutifera negans opera & horrendum, formidet. *Ite* quod sibi dandum arbitretur, nisi in vita misericordiæ panderit viscera, attendat distichon illud.

Æspere vox (Ite) sed erit pergrata venite.

Dicetur reprobis (Ite) (venite) probis.

Æspere vere vox illa erit qua reprobi à facie Domini expellentur in tartareos relegandi comburendique ignes.

Sed è contra pergrata erit: venite Benedicti.

Patris mei percipite regnum vobis paratum ab origine mundi, nã tunc præmia virtutib. sunt cõdignarecepturi sicut & illi supplicia.

Si verbis meis fidem non adhibes, Augustinum audi, noua sed mala tibi vaticin-

nan-

nantem: *Illis quos coronaturus solas eleemosi-
nas imputabit, tanquam dicens: difficile est ut
si examinem vos, & appēdam, & scruter dili-
gentissime facta vestra, non inueniam unde
vos damnem: sed ite in regnum, esuriui enim,
& dedistis mihi manducare: Non ergo itis in
regnum, quia non peccastis, sed quia peccata
vestra eleemosynis redemistis. Idem etiam in
confusionem maledictorū paulo post sub-
iungit: Sine dubio videbunt se iuste damnari,
pro sceleribus suis: quod est quasi eis diceret:
Non inde, unde putatis: sed quia esuriui & nō
dedistis mihi manducare. Si enim ab illis om-
nibus vestris factis, auersi, & ad me conuersi,
illa omnia peccata, eleemosynis redemissetis;
ipsa eleemosyna modo liberarent vos, & a rea-
tu tantorum criminum vos absoluerēt. Itaque
tanti facit misericordiae opera Deus, ut ea,
exercentibus præmia regni tribuat, ne-
gligentibus, gehennæ & inferni supplicia
paret. Testatur S. Leo qui hunc in modū,
scribit: in illo summo, magnoque iudicio, tanti
estimabitur, vel largitatis benignitas, vel
tenacitatis impietas, ut pro plenitudine omnium
virtutum, & pro summa omnium commisso-
rum, & per unum bonum isti introducantur
in regnum, & per unum malum illi mittan-
tur in ignem aeternum.*

Serm. 50.
de Temp.

Serm. 1. de
collectis.


*Is epist. ad
Pallad. diac.*

Auream plane antiqui Patris Isidori cōnectamus sententiam, qui plus quam à mille annis hanc ore aureo distillauit eloquentiam. In altero seculo pronuntiabitur à iudice incorrupto in illo horribili tribunali sententia cum clamabunt esurientes: Nos quidem neq; cibos ad necessitatem natura accepimus ab his, qui in delicijs & opum copia maxima, omnia in splendidos & sumptuosos vsus consumpserunt. Nudi dicent: ac difficiliore ipsa hyeme fuerūt: agroti asserent, ipsos ipsa agritudine fuisse duriores: tum ipsi pupilli nullum patrocinium se retulisse: Vidua consolationem nullam accepisse: Carceribus detenti nec lachrymam quidem ab oculis decurrentem se vidisse obijcient: calamitosi non porrectam ab ijs fuisse manum subleuationis. Et ut paucis multa complectar, cum omnes clamauerint, quid existimas facturum esse iudicem incorruptum? An non grauius puniet, quem nec honor fecit meliorem? omnibus sanè liquet ita fore. Si quis autem non credit, pronuntiationem sententiæ in Euangelio legere potest: Diuidet eum & partem eius cum infidelibus ponet.

Luc. 12.

Percipis iam modo tandem infidelis Hæretice quod pars hæreditatis tuæ cum infidelibus collocabitur, nisi misericordiæ salutifera tibi compares opera? Si rursus exurgis;

urgis; non in me, sed in Achillem fortissimum, & totius Sacrae scripturae defensorē, in Augustinum tibi erit concertatio. Nec eum solum, tuis impetis calumnijs, sed & veritatem ipsam vanis nugis & somnijs obnubilare contendis. Quod si veritatem etiam in Deo esse negaueris, quis tantam nō abhorreat blasphemiam? cum praecipue inter diuina sacrae Deitatis attributa, veritas semper antecellat, & antegradatur. *Non enim est Deus quasi homo ut mentiatur, nec ut filius hominis ut mutetur; Dixit igitur & Numer. 23. non faciet? locutus est & non implebit?* Si inquam (quod fieri non potest) veritas Dei *Matth. 5.* non est qua praedicauit beatos misericordes, igitur D. Paulus vas electionis mundum decepit vniuersum, cum Deum testatus est *secundum opera retributorum. Rom. 2.* *Comprimas igitur Hæretice os blasphemum & impudicum, aperi oculos tuos & vide, Psal. 117.* quod sine misericordia saluus fieri non possis.



B 5 CON-

Christus non solum fidem à vobis exigit, sed & opera, misericordiæ requirit. In eos autem qui negant opera misericordiæ ad salutē esse necessaria, adeò excandescit, vt huiusmodi, dæmoni tradēdos censeat. Nec mirum nam Iesu Christi Doctrinam sectatur qui seruos negligentes æternalib. flammis adiucandos dicit. Sed qua de causa? *Math. 22.* nisi quia bonis operibus posthabitis, solum fidem iustificare credebant. Sectamini, sectamini nunc Hæretici seruum hunc à bono opere torpentem & pariter cum eo mittemini in tenebras exteriores. Sequimini virgines fatuas quæ lampades fidei sine oleo misericordiæ portabant, & gaudijs, cælestibus priuabimini.

Si necessarium est ò Fratres vt ad eludendos hæreticorum conatus Sanctorum Patrum testimonia producam; D. Augustinum in initio statuam, dicentem: *Sicut nobis non placet si serui nostri verbis se profitentur esse nostra mancipia, & tamen non velint implere opera sua; ita nec Deo placet si quisque Christianū verbis tantummodo pronūtiat: & opera que fieri iussit Christus, implere d'simulet.* D. Gregorius sic inquit: *Is fidem se habere ostēdit, qui operibus exercet quod fide credit: Ceteros omitto quoniam impetum*

in

in nostrum misericordiæ palatium insurgentem infringere volo. Dicunt igitur, fidem sine operibus iustificare, sed falsò hoc fidei nudæ attribuunt, siquidem de fide cum operibus charitatis agente intelligitur, vt clarè elucidauit D. Paulus. *Fides quæ per charitatem operatur.* Eorum etiam conatus vani sunt, nihil virtutis, roboris neque in se continent, sed potius inferunt fidem ad instar ianuæ salutis sese habere. Sed quid ianua sine domo prodesse potest? Nihil sane, vel parum. D. Paulum in suam sententiam perducere conantur quia bona opera in fide facienda dicit? oleum perdunt & operam, siquidem fidem connectit bonis operibus.

Coloss. 5.

Natura hominem labilem & infirmum duobus donauit pedibus, quibus stabilis efficeretur; & ne forte in spiritali deambulatione corrueremus datus est (Fides) pes vnus; data sunt bona opera, ecce pes alius, sine quibus proculdubiò homo corruet. Qui verò hæc opera fidei coniuncta possederit, dicere iure poterit; *Corpus nostrum Ciuitas est, salus illi posita est in murum & antemurale.* Murus Fides est, antemurale opera bona sunt. Caueat itaq; Christianus huiusmodi farine homines, qui docent fidem

Isaie. c. 26.

fidem solam sine operibus iustificare, ne fortè hæreticorum & infidelium sordibus coinquinatus in æternum corruat supplicium.

*Hic niger est, hunc tu Romane Ca-
neto.*

Horat. Saty. . . .



CONTRA CALVINUM
ET LUTHERUM QUI
FALSO AFFIRMANT HOMI-
nem iustum mortaliter peccare ope-
ra misericordiæ exercendo.

CAPVT. IV.

ANtecedentium elusis conatibus, ani-
mose hostem prosequamur, siquidẽ
video Calvinum necnon Lutherum in nos
insurgere, nostrumque Charitatis demoli-
ri velle domicilium. Insurgunt ambo, di-
cuntque hominem opera misericordiæ ex-
ercentem, mortaliter peccare. O blasphemiam inauditam! Quis præcor non arma-
sumat, non in hos irruat Sicophantas? Ter-
rentur his vocibus idiote, at quibus aliquid
scientiæ inest mendacij & blasphemix eos
con-

*Art. 31.
Damn. à Leo-
ne 10.*

*Aur. contra
Trident. §. 6.*

conuincunt. Impudentes; si homo per bona opera iustificatur, quomodo eū peccare dicitis? in verbis vestrīs lucida apparet cō-
 tradictio, nihilominus, Calvinus noster in-
 scium, indoctum, bestiam vocat, eum qui
 contrarium tueri n̄ titur. Si ita est igitur
 per opera bona quæ fecit Virgo mater, non
 vitam, sed æternam sibi promeruit gehē-
 nam, Quis demon vnquam, tam inauditam
 ausus est effutire blasphemiam? O perditē!
 Si vera tua foret sententia, sequeretur To-
 biam in operibus Misericordiæ peccasse,
 Cornelium in eleemosynis dandis offen-
 disse, Zachæum nihil præter supplicium
 promeritum esse, cum Christus ipse men-
 dacij te redarguat, siquidem datam ei con-
 scientiæ asseueret tranquillitatem, ob o-
 pera Misericordiæ exercita. Si vera tua fo-
 ret Doctrina, ò insane, cur dominus præci-
 peret, *Sic opera vestra bona luceant coram
 hominibus, ut glorificent Patrem vestrum
 qui in caelis est?* Siccine ergo tenebræ pec-
 catorum, hominum mētes illuminabunt?
*Vae vobis hypocritæ, qui dicitis bonum esse ma-
 lum, & tenebras lucem.* Tu pie Iesu illumina
 mentes hominum, ne quisquam in sulfam
 sequatur doctrinam. Vos autem hæretici,
 oculorum aciem pandite, neque ita impu-
 denter

Tob. 3. & 12.

Act. 10.

Luc. 19.

Matth. 5.

Isaie. 5.

ribus, iam ad quosdam catholicos pietatem damnantes habenda est concertatio. Ad quod me mouit assidua confratrum quærimonia, qua dolebant se iniuste ab iniustis fortè calumniari. Retulerunt namque mihi, nonnullos ciues voce publica testari, domum misericordiæ, cæteris Hospitalitijs damnatum maximum parere. Vt igitur ijs ora concludam, statui paucis ostendere quemadmodum Diabolus per eos tanto bono voluit obicem ponere, idque vt Ciues nonnullos huic confraternitati sese adscribere volentes, ab hac pietate auerteret. Quam indigna conditio hominum, charitatis opera in iniuriam & calumniam conuertentium! Qui quidem agendi modus Diabolicus est, nam misericordiam, pietatem, inuidorum linguis percutiens, ab hac charitate semper euertere studuit, vt sequentibus clarebit exemplis. Nunquid impius, & sceleratus traditor Iudas, in Magdalenam vnguenti prætiosi, libras effundentem obstrepebat? Ipsa tamen in sepulturam Christi hoc fecerat, quod opus misericordiæ est. Sanctus Odilo Abbas Cluniacensis, cum Charitate feruidus bona monasterij misericorditer egentibus diuideret, eum inuidiæ aculeo stimulati Fratres

Ioannis 12.

In legend.

res nō dispensatorem, sed monasterij dispensatorem appellabant. Quod quidem nomen præcipuè ei adscripserunt cum fames vrgens vniuersam premeret Aquitaniam. Nam elargito egentibus vniuerso monasterij frumento, sacris Ecclesiæ non pepercit ornamentis, quæ vendens, in vsum pauperum pecuniam distribuebat. Hæc tamē Charitatis opera inuidia non vacabant. Sicut nec Paula vidua Romana, quæ quia filiorum etiam vestes pauperibus elargiebatur à parentibus grauiter redarguebatur. Similiter plerique nouiter instructum charitatis ædificium demoliri conantur dicentes hanc domum cæteris Hospitalitiis præiudicari. O quam ingratus ille censendus est qui beneficia Principis, iniuriam esse arbitratur! Qui fieri potest vt damnum inferat hæc sacra domus, quæ ad infirmorum subleuandam necessitatem erecta fuit? Sileat os maledicum, quod simile Iudæis authorem vitæ calumniantibus, esse sese declarat. Horum cum audaciam retundo, vestram pariter ô fratres Charitatem & pietatem extollo, qui Romanorum facta ad amissim imitamini. His siquidem (quamuis Ethnicis & paganis) tantus charitatis feruor inerat, vt murmurantium & obstre-

Hieron.

C pen-

pentium verba parui penderent, nec ab operibus charitatis ob inuidorum calumniam abstinebant. Vnum aduertite Q. Fabium de quò sic scribit Poëta.

*Ennius apud
Cicer. lib. offic.*

*Unus homo nobis cunctando restituit rem.
Non ponebat enim rumores ante salutem.
Ergo magisque magisque viri nunc gloria
claret.*

Math. 2.

Hoc dico vt maledicentium patienter toleretis calumniã, siquidem: *Beati eritis cum maledixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduersum vos, mentientes propter me; gaudete & exultate quoniam merces vestra copiosa est in caelis.* Beati eritis cum aliquantulum sustineritis. Itaque dilectissimi opera bona exercere satagite, neque mundanorum vos terreat rumores, Quod si forte molestiarum paucillum inueneritis, memento quomodo Filij Israël in terram promissionis proficiscentes per viam oliuarũ gradiebantur, Quæ quidem Oliuæ Misericordiæ symbolum esse perhibentur, amaritudinis speciem quandam præferunt, sed gustui postmodum summopere arrident.

2. Reg. c. 15.

Vobis igitur quicumque contradicere voluerit, hic Principem leuitatis accusat, qui

qui tamen hanc erigens confraternitatem,
& se illi primò cum tota familia adscribens
non solum pium sed & magnanimum o-
stendit. Nam si solummodò magnatum
curam gessisset, similem sese medico ma-
nus & digitorum læsuram non curantem
quia à corde remoti sunt, præbisset. Nec
incongruum est vt pauperum diuites mi-
sereantur, siquidē illi penuria laborātes fu-
rari, & diuitib. damnū inferre cogentur.

Comparatio.

Nunquid dum turmatim pauperes per
Ciuitatis compita nō vagantur per Princi-
pis curam refoti, inhabitantiū cedit hono-
ri? Imò sanè quia vt rectè notauit Plato, pau-
perū turba vagans, atq; huc illuc circum-
cursitans, crudelitatem & sæuitiam indicat
ciuium, O vtinam mos Romanorum vobis
inoleuisset, qui non prius conuiuium con-
struere poterant, quam vicinorum paupe-
rum subuenissent necessitati.

In Phadr.

Quis Principi sedulo tranquillitatē Ciui-
tatis inquirenti laudes infinitas adscribere
non gestiatur? Tunc porrò tranquilla cēsetur
Ciuitas eū membra fortia debilib⁹ succur-
rere nituntē membris. Ideò D. Ioānes Elec-
mosynarius Patriarcha Alexandrin⁹ statue-
rat vt pauperib. Ciuitatis quoditiana admi-
nistraret annona, Tunc autē pax summa erit

C 2 cum

cum pauperi subueniet diues, quē pauper tanquam benefactorem assiduū, assiduo profequetur amore.

Nunquid non Princeps honorandus erit qui vigilātia sua, subditos ab omni morbi contagio custodit illāfos? Quos ita custodit, Princeps cum pauperum vlcera sanat, ex quibus non curatis, morbi, pestes, aëris infectio sæpissime emergere solet.

Nunquid non Principem laudibus effretis, qui sua pietate alios Principes & magnates ad Charitatis opera exercenda, prouocat? *Regis* (namque) *ad exemplum totius componitur orbis*. Talē iam indico Principem cui Deus longæuos tribuat annos. Hinc procul maledici, inuidi, Charitatis & misericordiæ inimici. Athenienses templum quoddam exstruxerant splendidum quod Misericordiæ dedicarant, Illud qui ingressus non fuisset, & munera non obtulisset, huic summo vertabatur dedecori, inhumanusque, crudelis, & sine misericordia iudicabatur. Nunc autem siccinè iniuste contrarium inter vos iudicabitis Christiani? Siccinè virum opera misericordiæ exercentem, piæ confraternitati sese adscribentem, Hypocritam, fatuum, Insanum dicere audebitis? Non talis insanus, sed infaniam

*Macrob. in
Saturnal.*

faniam sapit, qui contrarium dicere contendit.

Quid loquar de ijs qui non modò Misericordiæ opera non exercent, sed irrisoriè etiam Misericordes sese inuicem appellât? Quid effabor in eos qui maliciosè confratribus detrahunt, dicentes eos sub specie Religionis & pietatis, diuitias pauperum in proprium inferre commodum? Qui tamen sicut maliciosè, sic perperam & iniustè loquuntur. Nam hi quibus distributionis cura cõmissa est viri timorari sunt, Dei amantes, de quibus verè dicere possum:

A fructibus eorum cognoscetis eos, non à folijs, *Matth. 7.*
 siquidem folia externam quandam figurât apparentiam; hi autem non ex apparentia sed in fructibus cognoscuntur. Nam quemadmodum ex vngûe Leo, ex causa, effectus; *Adagium.*
 ex cursu & celeritate bonus agnoscitur equus; ita ex operibus charitatis, ex elemosynis quotidianis, ex infirmorum curatione, pauperum subleuatione, veri, veræ pietatis agnoscuntur sodales. Lucet in omnibus Charitas, claret vbique pietas, splendet Misericordia, nec tamen eorum vita caret inuidiâ. Hortor itaque vos amici vt ad Sacram pietatis confugiatis arcem, vt in pauperes benignos vos præbeatis vt hi vicissim

cissim recipiant vos in aeterna tabernacula.
 Hæc enim Misericordiæ domus est arca
 Noë, extra quam non est salus, Hæc est o-
 nile quod à lupo nos protegit, à dæmone
 custodit qui semper circuit quærens quem
 deuoret, hæc est gloriæ cœlestis asylus, nã
præceptorum finis est charitas. Alias rationes
 inquiramus.

2. Tim. 8.



ELEEMOSYNA EST
 PECVNIA EMENDO
 Paradiso propria.

CAPVT VI.

DEbellatis tandem inimicorum omniũ
 viribus, viã Misericordiæ demonstra-
 bo, eamq; veram semitam quæ ducit ad vi-
 tam esse declarabo. Nã si forte prætio cœlũ
 comparatur, Misericordia aurum porrigit
 necessarium, sic censeat D. August: *Felix*
(inquiens) operarius, cultor Eleemosynarum
eo quod ere suo comparauerit cœlum. Si quis-
 piam thesaurũ inestimabilem quo Hispa-
 nicum vel Galliarũ Regnum tibi compara-
 res, offerret; quanto putas regratiationis
 officio adstrictus illi fores? Et ecce ego, nul-
 la proposita mercede, nullo retributionis
 expe-

Lib. hom. 39.

expectato munere, diuitias ostendo, aurū
 præbeo, quo infallibiliter nō regnū vnum,
 non omnia regna mundi, at omnem eorū
 ornatum, superans regnū tibi comparare
 valeas. Pagani mortuo recēter amico, aureū
 nummum in ore illius ponere solebant, quo
 hic aquas infernales transiens ad Elisios e-
 mergere posset cāpos: Ita si vanitatū mun-
 danarū fluctuantes vndas superare velim⁹,
 necessarius est aureus nummus quo, nautæ
 non parcenti, morti dico satisfacere possi-
 mus. Quem me nummū dicere arbitrami-
 ni? Non aureum dico, sed Misericordiam
 dicere volo. Hæc enim sicut inter virtutes
 prima, ita auro q̄ cætera superat metalla,
 comparat. Hanc ob causam dicebat D Ioēs.
Suadeo tibi emere aurū ignitum & probatum ^{Apoc. 3.}
ut locuples fias. Misericordiā dico aurū, quia
 nō modò aurū, sed Cresi diuitias totiusque
 mundi superat opes. Nihil adeò arduum in
 mundo reperiri potest q̄ aurū non flectat,
 q̄ inquam auro non cōparari queat, ita et-
 iam licet arduū sit cæleste regnū nihilomi-
 nus virtute misericordiæ facile cōparari pt.
 Hoc regnū venale pponens Christ⁹ volen-
 tib. emere dicebat, *Misericordiā volo quem* ^{Matth. 9.}
admodū & in Isaia: Venite emite absq̄ argē-
to. Nec mirū, nā qui ppter amorē Dei buc-

Isai. c. 55.
Hom. 9. de
Peniten.

Matth. 10.

In Psal. 8. &
121. & Enchi.
c. 69.

Luc. 2.
Matth. 4.
Luc. 19.


cellam panis tribuerit proculdubio hic sibi regnū cōparauit, verbis Chrysostomi fidē date: *Quanti potes (inquit) tanti eme. Habes denariū: da calicem aquae frigidae, inquit enim Quicumque dederit uni ex minimis istis calicem aquae frigidae propter me, non perdet mercedem suam. Da panem, & accipe Paradisum: parua da, & magna suscipe. Non minora refert D. Augustinus scribens in hęc verba: venite benedicti Patris mei, percipite & c. Quid percipite? regnum, pro quare? esurini & dedistis mihi manducare. Quid tam vile quam frangere panem esurienti: tanti valet regnum cœlorum: si non habes potestatem frangendi panem, da calicem aquae frigidae; mitte duo minuta in gazophylacium, tanti valet quantum habueris. Hoc regnum sibi equē cōparauit vidua mittens duo minuta in gazophylacium & D. Petrus retia relinquens, sicut Zachæus dimidium bonorum suorum pauperibus erogans. Quo pretio viliori emi potest regnum, quam, aqua, pane, vel minutis geminis? Hoc aurum, hoc tamen pretium est. Quod si forte & hoc defuerit, voluntate tamen pauperi subuenias, & sic cœlum mereberis. Hęc pauperib⁹ loquor. Dicet mihi diues aliquis. At nos quo pretio illud nobis comparabimus? Eleemofy-*

nis. O utinam inquiet peccatà mea eleemosynis, auro redimere possem, & ecce dū sese præbet occasio tepidi sunt, quasi nescientes bonum. Si denuo roget à quo cœlum emet; A pauperibus emendum dico, ut rectè annotauit, Sanctæ Lucie Nutrix. *Ex antiq. Martyr.*
 Quæ rogata à proco & amatore virginis, vtrum illa hereditates venditas pauperibus distribueret, Sic prudenter respondit. Virgo dominationem quandam inuenit cuius amore acta hæreditates suas nullius momenti vendit ut hæreditatem æternam sibi comparet & acquirat. A pauperibus igitur emendum est, nam eorum est regnum cœlorum, ut testatur Christus: *Beati* (inquiens) *pauperes spiritu quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Ideò & in alio loco Christus eorum esse solummodo dicit, quibus paratum est à constitutione mundi: *Venite benedicti Patris mei percipite regnum quod paratum est vobis à constitutione Mundi; Sitiui enim & dedistis mihi bibere, esuriui & dedistis mihi manducare. Dico enim in veritate quando uni ex minimis fecistis mihi fecistis.* Quæ quidem verba clara sunt, his liquidè insinuat eorum esse regnum, pauperum inquam esse hæreditatem. Vide sne hic diues quomodo pauper nudus pro vili tegumen-

42 SACRVM MISERICOR.

Luc. 16.

to, famelicus pro buccella panis, Inops pro denario, tibi regnum inestimabile præbet. Hoc equidem regnū diues epulo sibi à Lazaro comparare poterat, nec tamen fecit, *nam nec eo illi dabat.* ideoque in infernum comburendus descendit. His claret quomodo misericordia vera est Paradisi semita.



QVOD ELEEMOSYNA
SIT EFFICACIOR SATISFA-
ctio peccatorum quam Ieiunium
& Oratio.

CAPVT. VII.

Tob. 12.

QVonia autem satisfactionis varia reperiuntur genera, validis argumētis, atq; sacrae scripturae testimonijs, pbare statui efficaciorē esse Eleemosynam, nec nō Ieiunio & Orationi præstare. Quod vt apertius, elucidare valeā notandum est satisfactionē, Pœnitentiæ postremam partem, tribus operibus compleri posse; videlicet Ieiunio. Oratione & Eleemosyna. Quas quidē Pœnitentiæ partes Raphael necessarias insinuabat dū dicebat: *Bona est Oratio cum Eleemosyna & Ieiunio,* nam per orationem

nem homo Deo coniungitur, per ieiuniū
 in semetipso componitur; per Eleemofy-
 nam bene erga proximū afficitur. His igitur
 tribus operibus satisfacit Deo, quisquis
 Deum peccando in se concitauit. Attamen
 Eleemofynam siue misericordiam, præstā-
 tissimum satisfactionis opus, Deoq; maxi-
 mē placens arbitror, quin immo vnico Sa-
 cro sancti corporis & sanguinis Christi sa-
 crificio excepto, cætera sacrificia superat,
 & excellit. *Misericordiam volo, non sacrifici-
 um.* Misericordia altissimo placet, non
 oues non boues & vniuersa pecora campi;
 nunquid Sapiens testatur? *Facere Mise-
 ricordiam, magis placet Domino quam vi-
 ctima.* Rectè sanè melius namque est, at-
 que humanitati accomodatius, inopi fa-
 melico subuenire, quam Deo vniuersa a-
 nimalia sacrificare, nec enim homo prop-
 ter animalia, sed animalia ad vsum hominis
 facta sunt. Vnde potius posthabenda, sunt
 vniuersa volatilia cæli, quam vt homo ta-
 befactus pereat fame, vel siti. Nec quis-
 quam miretur, tantam Misericordiæ in-
 esse efficaciam, ea siquidem Angeli testi-
 moniò est, quæ Orationi & ieiunio tri-
 buit virtutem? Nec enim Oratio aut ieiu-
 nium quicquam prodelle poterit, nisi
 Elec-

Math. 23

Proverb. 21

44 SACRVM MISERICOR.

Tob. 12.

Serm. 3. de
ieiunio pente.


Eccles. 3.

Eleemosyna illis cohabitauerit. *Bona est Oratio & ieiunium cum Eleemosyna.* Quod lucidiori comprobatur testimonio Leo Papa sic scribens; *Tunc demum ad animæ curationem proficit medicina ieiunij, cum abstinentia ieiunantis esuriem reficit indigentis.* Quamuis ergo ieiunium, carnis & voluptatum lenocinia deprimat, fomitem extinguat, petulantias corporis exterminet, nihilominus validum non est, nisi Oleo Misericordiæ condiatur. Sanat quidem ieiuniū vulnera corporum, at sine Misericordiæ balsamo, non aufert cicatrices vulnerum. Ecclesiastem docentem audiamus: *Extende manum tuam ad pauperem, ut propitiatio tua perfecta sit.* Extende manum quoniam in Pœnitentiæ Sacramēto, Misericordiæ præstantissimum pharmacum est. Nam quemadmodum in medicamentis variarum herbarum concoctio reperitur, vna tamen herba ceteris dominatur; ita in Pœnitentiæ Sacramento, quod aduersus peccati morbum præsentissimum remedium est, multa herbarum genera, multæ satisfactionis partes reperiuntur, quibus tamen Eleemosyna præualet & dominatur. Quod ut magis pateat aduertendum est in satisfactione tria reperiri. Primum est Euitatio culpæ, cui maxi-

maximè deseruit oratio, Augmētatio gratiæ, cui præcipuè prodest Eleemosyna, Solutio pænæ, quæ in satisfactione minima est. Igitur Eleemosynam quæ gratiæ comparatur augmentum, nobiliorem oratione & ieiunio esse certò perhibetur. Ideoque summè curare debet Sacerdos vt magis in satisfactionem peccatorum Eleemosynæ largitionem iniungat quam Orationes vel ieiunium præcipiat; Hæc siquidem & Orationem & ieiunium in se complectitur. Orationem equidem dum eum cui benefacit, sibi obstringit; Ieiunium autem, dum corpori necessaria subtrahendo, alteri indigenti largitur. Licet verò grauius difficiliusque sit, carnem ieiunijs macerare, quam diuitiarum particulas distribuere, non tamen quæ difficiliora sunt, pœnitētibus sunt imperanda, sed quæ meliora.

Vnde Isaias repræhensa Iudæorum obstinatione, quam neque ieiunijs, neque Oratione diluere valebat, voce publica sic effari cœpit: *Frangere esurienti panem tuum, & nudos vagosque induc in domum tuam, si videris nudum operi eum & carnem tuam ne despexeris, tunc lucebit lux tua sicut meridies, & Iustitia tua ante te ambulabit, & claritas Dei circumdabit te. Et hinc facillè perspicere est,*

est, Orationem & ieiunium sine Eleemofyna, vix quicquam prodesse: Eleemofynam autem satisfactoriam esse.



MISERICORDIA
COELI VIA EST.

CAPVT. VIII.

NEc solum peccatorum maculas tollit nostra Misericordia, sed amœnissimo locorū, Paradisi dico viā nobis ostendit. Quam dū Regius psalter ignoraret, sic à domino petebat: *Nota fac mihi viā in qua ambulem*, quasi diceret. Licet ad custodiam mei, Angelū mihi deputaueris qui gressus meos dirigeret, nihilominus viam ignoravi, *Erraui sicut ovis quæ perijt, ideo quære seruum tuum*. Quem (vt ipse testatur) de via sic Spiritus Sanctus instruxit: *Instruam te in via, qua gradieris*. Si igitur Sanctus Propheta hanc ita sedulò viam inquisiuit; nunquid nos desides in ea perquirenda reperiemur? Nequaquam sed eam dum ostendo, quæ dico perpendite. Duæ sunt semitæ ducentes ad vitam, alia, pauperum, diuitū alia. Pauperum via; pati-

Psal. 142.

Psal. 118.

Psal. 31.

Patiētia est teste Euangelista qui ait: *Inpatientia vestra possidebitis animas vestras* Diuitū Misericordia est, Quos ad hanc prouocat Christus dicens: *Estote Misericordes.* Hæ duæ viæ sunt, præter has non datur semita: qui has declinauerit, aberrat à cœlo. Ni pauper cum diuite in hoc Mundo foret, semitæ vacuæ forent, nec esset qui eas introiret. Non quidem diues per Misericordiā: nam in quē beneficia Misericordiæ conferret, non haberet; nō pauper per Patientiā, quia si diues nō esset, pauper qui sibi Eleemosynam recusando patientiam auget, non haberet. Necessarius igitur diuiti pauper, pauperi, diues. Causam Basilij audite. *Cur tu abundas ille verò mendicat, nisi ut tu bonæ dispensationis merita consequaris, ille verò patientia brauijs decoretur?* Dum ergò pauper patitur cœlum, scandit, dū diues pauperi compatitur, pauper diuiti cœlum pandit, necesse igitur est vt diues pauperi largiendo subueniat, pauper verò vt orādo, diuiti, cœli ianuas aperiat. Hanc semitā sibi cōtinuè demonstratā cœteros sic docebat Dauid: *Misericordia ante oculos meos est.* Et alibi. *Putasne est aliquis qui remāserit de domo Saul, vt faciam cū eo misericordiā?* quasi diceret: Nūquid miserum

Luc. 21.

Luc 6.

In Luc. 12.

Psal. 25.

rum

48 SACRVM MISERICOR.

rum inuenire potero, cui Misericordiae vil-
cera pandens, caeli semitam mihi compa-
rabo? Oblatumque Miphiboseth, filium
Ionathæ, tantis beneficiorum cumulauit
donis, vt ad agros vsque Patris ei omnia re-
stituerit. O rem prodigio, simillimã! Nun-
quid claudus cursum demonstrabit? Nun-
quid cœcus viam nos docebit? nunquid in-
firmus, in via refocillabit. Mirum sanè, nec
tantum mirum imo mirandum, siquidem
claudus virtute Misericordiae in palestra
cœlesti, in cursu viæ nos valet adiuuare.
Psalmistam sequamur, eius insistamus ve-
stigij, viam demonstratam apprehenda-
mus, Misericordiae semitam ingrediamur,
& ad Deum per eam gradiamur. *Via siqui-*
dem Domini recta. Hanc semitam securam
docet regius vates, *Beati immaculati in via,*
qui ambulant in lege domini. Hoc iter secu-
tum se gloriabatur Iob, dicens: *Vestigia,*
eius secutus est pes meus, viam eius custodij
& non declinaui ex ea. Et vt huic narrationi
coronidem imponam vos hortor omnes
cum Hieremia *Interrogate quæ via bona sit*
& ambulate per eam, & apprehende-
tis fructus eius.

Prouerb. 3.

Psal. 118.

Iob. 23.

Hieron. c. 6.

MI-

MISERICORDIA EST
SCALA COELI.

CAPVT. IX.

Sed nunquid datâ viâ, appositè fecero si vobis scalam præbuero? Scala, Misericordia est septem constans, gradibus, septem Charitatis ornata operibus. Hanc figuratam olim arbitror, ex eo quod antequam sacerdos ad Sancta Sanctorum perueniret, aliquot necesse erat vt gradus ascenderet, similiter priusquam ad Regium Salomonis thronum quisquam peruenire valeret, necesse erat vt per subiectos gradus scanderet. Ezechiel quoque in visione monstratam scalam gradibus septem constare, rerulit, nec abs re sunt hæc omnia; siquidem Misericordiam figurabant, per quã ad Sanctuarium, ad diuinitatis solium, ad Beatitudinis gloriam, scanditur. Per hanc necesse est gradiatur, qui supernæ ciuitatis gaudiis potiri gestit, & in eis delectari desiderat. Ideò etiam Christus ex monte Oliuarum in coelum ascendit, vt ostenderet Misericordiam per Oliuas figuratam verã

D coeli

3. Reg. 10.

2. Paral. 9.

Ezech. 40.

Act. 1.


cœli esse scalam. Hanc igitur vobis Misericordix proponens scalam, plerosque Sanctos pioſq; Patres sum imitatus, inter quos D. Benedictus nō minimus est, qui confratribus humilitatis porrigens scalam, eam septem gradibus decoravit. Mellifluus Doctor duas Fratribus præbuit scalam, quarum vna septē peccatis ornata mortalibus, ducebat ad interitum; alia septem decorata Misericordix operibus, ducebat ad vitam. Timidus atq; pusillanimis fortē Christianus, distantiam pro excusatione, graduum obiiciet, quia septem solummodo gradibus, infinita dixerim superari spatia: Verum est;

difficilis est via quæ ducit ad vitam, & pauci apprehendunt illam. Non tamen adeo impossibile est, si quidem huic scalam addidit sustentacula Deus, quibus scandens fulciatur, & innitatur, sicut Salomon folio suo eburneo, sustentacula adiunxerat, nē ascendens collaberetur. Quæ quidem sustentacula sunt, Fides, & Spes. Deinde ad sunt Angeli parati in obsequium, nē hi qui ascendunt deficient. Futurorum etiam bonorum & præmiorum grata recordatio animum addit. Denique huic scalam (quemadmodū & illi quam vidit Iacob) innititur Christus, ut gratiæ suæ donis fulciat debiles,

Matth. 7.

3. Reg. 10.

les, sustentet infirmos, claudos atque cœcos cōfirmet & solidet, dummodo animosè ad ascensum anhelemus. Ad quem ascensum varijs modis nos vocat Christus, nunc per mortis venturæ recordationem, iam per pœnarum infernalium terrorem, modò per Prædicatorum suasionem, statim per beneficiorū ab eo nobis datorum improperationem, nunc per diuini fauoris impertitionem, modò per diuinam inspirationem, iam per morborum afflictionem, nunc per gaudiorum promissionem, mox per æternorum gaudiorum largitionem, quibus fruuntur, qui inoffenso calle, opera Misericordiæ perseueranter exercuerunt.



MISERICORDIA.
EMPYREI EST IANVA
COELI.

CAPVT X.

NVnquid gratū erit si vos ad Empyreī cœli ianuā perduxero? Hæc autē Misericordia est, Quod vt apertius intelligatis

D 2 memi-

meminisse decet illius templi Athenien-
 sis; Misericordiæ sacri, quod nemo ingredi
 audebat, qui charitatis operibus non insi-
 steret; adeò vt plerique ingrediendi amo-
 re perculli solam eam ob causam pietatis
 operibus, Misericordiæ, & Charitati ope-
 ram darent. Sicut igitur his nisi Misericor-
 diam sectantibus, templi negabatur aditus;
 ita, Immesericordib⁹ regni cœlestis occlu-
 detur introitus. Ideò in huius rei figuram
 ante fores templi Salomonis ostia parua
 erant oliuarum lignis fabrefacta, quæ Rex
 deaurari curauit, vt hinc ostenderetur non
 prius posse nos Regnum Dei (qui est plus-
 quam Salomon) introire, quam per portas
 Oliuarum, Misericordiæ dico, transueri-
 mus Deinde quomodo regni cœlestis gau-
 dia adipisci poterimus quandoquidem vt
 ait D. Ioannes; *Qui habuerit substantiam
 huius seculi, & viderit fratrem indigentem,
 clausitque viscera sua super eum, quomodo
 charitas Dei in illo erit?* Igitur sine charitate
 ad deum tendere non possumus, nam sicut
 viscera pauperi occludit; sic Deus charita-
 tis dote priuabit, ianuas Paradisi occludet
 dicens: *Non nouite, veste nuptiali cares,
 charitatem non habes, per fenestras intro-
 isti non per Misericordiæ fores, ideò mitte-
 ris*

3. Reg. 6.

Luc. 2.


Ioannis. 3.

mico commissur^o, milites suos studio pug-
 na anhelantes incitat antiquorū & proauo-
 rum bene gesta comemorans; Ita dominus
 in inimicum concitaturus, nos vt fortiter
 dimicemus hortatur, & vt Charitatem pro-
 lorica suscipiamus admonet & præcatur,
 idque exemplo Patris; *Estote (inquiens)*
Misericordes sicut Pater vester cœlestis Mi-
sericors est. quasi diceret, Si olim immiseri-
 cordes fuistis, nunc estote Misericordes,
 quod si fortè olim Misericordes fueritis,
 vos hortor vt de die in diem eam augeatis,
 si non hæcenus, saltem deinceps, nam *Sat-*
cito, si sat benè, Estote Misericordes, dis-
 cite, bona vestra elargiri, sicut ego bona
 mea fideliter, dispensaui, in vsum commu-
 nem ea Iudæ tribuens. Estote Misericordes
 sicut Pater vester, in imitatione nõ in æqua-
 litate, nulla siquidẽ creatura immò nec An-
 gelica substantia æqualitatẽ Misericordiæ
 Dei attingere potest. Imitamini tamen Pa-
 trem vt quo propius ad perfectionẽ Mife-
 ricordiæ perueneritis, eò magis diuinitatis
 sublimitatẽ attingatis. Nihil enim est quò
 homo Deo proximior efficiatur, q̃ si homo
 indigenti bonorū suorum excrementa lar-
 giatur, *nam homo, homini Deus.* Et quidem
 maxima homini terræ vermiculo gloria
 est,

est cui per Misericordiae viscera, tantæ ma-
 iestatis propinquitas comodatur. Vnde
 Gregorius Nazianzenus rectè inquit: *Fac* Orat. de paup.
 amore.
*calamitoso sis Deus, Dei Misericordiam imi-
 tando, nihil enim tam diuinum homo ha-
 bet.* Nec mirum nam quod homo maximū
 appetere posset, illud Creatoris approxi-
 matio superabit. Nā si (iuxta D. Greg. Ni-
 cenum *Misericordis appellatio Deum decet,*
ad quid aliud hic sermo te hortatur, nisi vt De- Orat. 5. de
 beatidu.
*us fias, tanquam insignitus & formatus pro-
 pria nota Deitatis?*

Estote Misericordes sicut Pater vester, ac
 si dicat, Magistrum & Dominum me dici-
 tis, & benedicitis, sum etenim, Si igitur Ioan. 13.
 ita est; quemadmodum seruus insignia
 Dominorum præfert sic & vos, Patris ve-
 stri Misericordiam quæ Insigne gestamen
 est portare debetis. Filius gratiam Patris
 obtinere gestiens, studet quantum in se
 est Patris imitari virtutes; sic vos Patris
 mei filios adoptiuos, virtutē Patris, Mise-
 ricordiam sibi connaturalem, decet imita-
 ri. *Estote Misericordes sicut Pater vester, non*
 sicut plerique, qui quia pauperes ostia-
 tim mendicant obmurmurant, & his non
 Misericordiae, sed crudelitatis nomen
 conuenit, siquidem rationes multæ sunt

propter quas pauperes nullatenus impediendi sunt ne ostiatim victum petant, & has sequenti narratione videre licebit.



VTRVM LICEAT IMPEDIRE PAUPERES OSTIATIM MENDICANTES.

CAPVT XII.

SI quis olim pauperibus ostiatim victum quærentibus, tanquam insanus fortè verba dedit, rationes sequentes attendat, videatque num congruum non sit vt pauperes victum quærant.

Prima est quia plerique reperiuntur qui licet voluntatem distribuendi Eleemosynas non habeant, tamen visis pauperum infirmorum vlceribus, quod denegare statuerant clementer largiuntur. *Obiecta enim mouent potentias.* Quem si pauperem non videris, quod paupertatis exemplar menti obijcere poteris? Congruum est igitur vt mendicet.

Secunda. Tantæ virtutis & efficacæ est pau-


pauperis mendici praesentia, ut quamuis non petat videntes tamen ad largiendum moueat. Sic dum Ruth spicas colligeret, opulentum Booz sua miseria & penuria ad benefaciendum prouocauit. *Ruth. 2.*

Tertia. quia plerique quae ex mensa super sunt in hora prandij distribuent, quae tamen alio tempore denegarent.

Quarta. Quia qui pauperem mendicare vetat, hic fructum meriti a nobis auferre desiderat. Quomodo? Quoniam licet multis maedia ad Eleemosynas erogandas desint, tamen hij, miseria proximi moti, miseriae compatiuntur.

Denique qui impedit ne pauper mendicet, hic impedit ne pauper humilitatis fructum sibi comparet. Nam inops suam detegens nuditatem, infirmus suam propalans debilitatem, quae humilitatis sunt exercet. Cum igitur Pater coelestis mendicare permittat, cur Christianus inhibere tentabit? Non in ostijs, sed in templis prohibendi sunt quia diuinum persaepe turbant & impediunt officium. *Estote igitur Misericordes sicut Pater vester* Misericordiam proponit, Misericordiam amplectimini, sine quateste Apostolo, *impassibile est placere Deo.* *Heb. 2.*

D 5 QVO.



QVOMODO DAN-
DVM SIT MALO SICVT
ET BONO.

CAPVT. XIII.

Misericordiã nos docet Christus, Mi-
sericordes vult nos esse, nõ ad instar
multorum, qui necessitatẽ non attenden-
tes, famæ rumorẽ, vitæ bonæ vel malæ fa-
ciunt examen. Non sic Pater vester. Miseri-
cors est, qui facit oriri solem suũ super bo-
num & malum. Nunquid Deus pascit Iu-
stum & iniustum? talem docet Deus Mise-
ricordiam dum ait, *Tribue petenti*, non di-
cit bono vel malo, sed indifferenter dicit,
tribue indigenti.

Matth. 9.

Luc. 6.


Quod si fortè Deus ita tecum ageret si-
cut tu cũ Paupere, quo te proriperes? quo
fugeres? Pauperi denegas, quia malus est, &
tu paupere fortè peior à Domino quotidie
postulas, quod tibi necessarium est. Ideò cũ
Aristoteles pro collato in pauperem per-
uersum beneficio, redargueretur, ita Re-
spondit: *Non morib⁹ compassus fui, sed homi-
ni, nõ homini beneficiũ contuli, sed humanita-
ti. Ita-*

ti. Itaque non dantis est, vitam recipientis
 examinare, quia inquisitio Diabolica est,
 quã primus exercuit in deserto, dum Chri-
 sto esurienti sic locutus est. *Si filius Dei es, Matth. 4.*
dic vt lapides isti panes fiant. Eadẽ est tua in-
 quisitio, dum antequã largiaris, vitam Mi-
 feri pauperis tentas & inquiris. Pleriq; di-
 cunt, Si Sanctus Petrus, Sanctus Paulus aut
 Apostolorum alius mendicaret huic bene-
 ficium conferre vellem, quia de eius San-
 ctitate mihi constaret, sed his vagatoribus,
 ciuitatum exploratoribus, beneficia im-
 pendere nullatenus possem. O insaniam!
 Christianus es? At si Domino Eleemosy-
 nam denegaueris, Apostolis aut sanctis
 quomodo largieris? Domino id præstas,
 quod tu in pauperem erogas, eodem at-
 testante, *Quod vni ex minimis meis fecistis Matth. 25.*
mihifecistis.

Estote ergo Misericordes sicut Pater ve- Matth. 13.
ster Misericors est, non respectiuè sed indif-
 ferenter. Nam villicus in agro Frumentum
 & Zizaniã crescere permittit. Noë in *Genes. 7. & 8.*
 Arca, immunda & Munda animalia excep-
 pit, nauis quam de triennio in triennium *2. Reg. 10.*
 trans mittebat Salomon. pauones & simias,
 Sol indifferenter, & bonos & malos illumi-
 nat, ita non decet dum largiri vultis bo-

60 SACRVM MISERICOR.

na vestra vos pauperum & indigentium vitam inuestigare, nam quos inopia & paupertas læsit, hos charitas & Misericordia vestra reficit. Quod si fortè animadversione dignos quosdam repereris, hos alimentis corporalibus satiatis, animæ cibo reficias & sustentas.



QVOD VITAM PAUPERVM NIMIVM INVESTIGARE CHARITATEM LÆDAT.

CAPVT XIV.

NE igitur curiosus vitæ pauperis inuestigator fias prout te monet D. Ioannes Chrysostomus, *Si perpetuo (inquiens) curiose scrutaturus es pauperes, fiet ut sepe numero, probatum coram Deo prætergrediare mercedemque quam ex eo habiturus eras, perdas, atque etiam is qui reprobum recipit, sine culpa erit, immò & mercedem habebit. Qui vero intempestiva sua curiositate præcipuum quempiam neglexerit, penas etiam dabit. Nec scruteris igitur curiose pauperum vitam atque nego-*

*Hom. 21. in
ep. ad Rom.*

negotia: nam extrema illud insolentia est pro uno pane, totam hominis vitam miseram curiose inquirere. Nam etiam si homicida, si latro, aut alius huiusmodi fuerit: an non videtur tibi plane, vel modico argento dignus? Si autem malus & peruersus fuerit, nunquid beneficium recipiendo deterior fiet? immò fortè per gratiam Dei emendabit se. Quod si vnusquisque quæ victui necessaria sunt denegauerit, impœnitens morietur. Da igitur omni indigenti, & si indigens beneficio indignus est, Christus tamen in quæ beneficium confers acceptum habebit.

QVOD OPORTEAT
IVSTO POTIVS QVAM IN-
IVSTO IN ÆQUALI NE-
cessitate constituto, sub-
uenire.

CAPVT XV.

Licet autem vtrifq; in extrema neces-
sitate constitutis subueniendum sit,
consulerem nihilominus iusto prius largi-
endum, si in æquali necessitate fuerit, quã
iniu-

86. *Diff. Fra-* iniusto. *Eleemosyna in necessitate primum*
rem. s. in ipsa. *danda iustis, demum peccatoribus, non quia*
peccatores sed quia homines. Ideo enim fru-
 ctum recipere dicitur, qui digno Eleemo-
 synam elargitur. *Beneficium dando accepit*
digno qui dedit. Quis nesciat id nos ab Elee-
 mosynæ distributione maximè auertere
 cum veremur ne bonum quod facimus in
 malum conuertatur? Ideò enim dicitur Ec-
 clesiastici 12. *Benefac humili & ne dederis*
impio, prohibe illi panes dari & c. Nam dupli-
 cia mala inuenies in omnibus bonis, quacumq;
 feceris illi, & ibidem: *si benefeceris scito cui fe-*
ceris & c. *Benefac iusto, & inuenies retributio-*
nem magnam, & si non ab ipso certè à Domino
 quibus omnibus verbis ostendit subueni-
 endum prius iusto, dein iniusto, si equalem
 patiatur penuriam. *Estote Misericordes.* Nò
 ad imitationem Potentiæ, nò ad concupis-
 centiam prouocat scientiæ, sed Misericor-
 diam imitandam Patris proponit: nec enim
 nostra salus ab harum proprietatum imita-
 tione dependet, sed eam solam Misericor-
 diæ & Charitatis imitatio operatur. Patrè
 in potentia imitari voluit Lucifer, sed qui
 potentiam affectabat, impotens, vt illegi-
 timus æternis traditur cruciandus ignibus.
 Hunc in scientia sequi voluit, protoplastus,
 sed

cap. 12.

Isaie. 14.

Genes. 2. 3.

sed insipiens factus, gaudijs Paradisi priuatur, & in hanc miseriarum vallem, bonum & malum tentaturus emittitur. Verum Iesus Christus Patris imitatus est bonitatem, ideoque Paternę particeps factus est hereditatis. Deinde non dicit Christus; Si ieiunaueritis, si carnis petulantias temperaueritis; si deuote oraueritis, si castitatis virtutem amplexi fueritis, Patris mei imitatores efficiemini; sed in eo solo paternam constituit similitudinē in quo imitari ipse Misericordię pater se exoptat. *Estote Misericordes sicut Pater vester Misericors est.* Sicut Pater (inquit) apud quem nulla est personarū acceptio. qui indigentibus æqualiter tribuit, cuius Misericordia in omnes diffunditur homines *Miseratio hominis circa proximum suum; Misericordia autem Dei super omnem carnem.* Estote Misericordes sicut Pater vester, *cuius Misericordia in saculum est* teste Psalmista, vt in hora mortis cum patientiæ speculo Iob dicere possitis: *Oculus fui cæco & pes claudus, Pater eram pauperum, de velleribus ouium mearum calefecidum foris non remansit peregrinus, ostium meum viatori patuit.*

Eccles. c. 18.

*Psal. 105. &
106.*

Iob. 29. n. 31.

VTRVM

non indiget auxilio, mortaliter tamen of-
fenderem si proximum in extrema neces-
sitate constitutum atque omni auxilio de-
stitutum, non subleuarem. His suppositis
opinionem D. Thomæ sectabor dicentis:
*Dare Eleemosynam de superfluo, est in præcep-
to. & dare Eleemosynam ei qui est in extrema
necessitate: alias autem Eleemosynam dare,
est in consilio.* Quam sententiam ut magis
explanemus notanda sunt superfluitatis va-
ria esse genera. Est namq; superfluum na-
turæ, dum quis granaria referta, cellaria vi-
no repleta pauperi indigenti non aperit.
Est superfluum, status, dum quis plura pos-
sidet, quam status & ordo exigat, nec tamē
superflua inopi tradit, & iuxta harum su-
perfluitatum rationes, dico cum Doctore
Angelico, eum qui superflua tum naturæ
cum status, indigentibus nō distribuit, pau-
peribus quos inuenit nō largitur eum gra-
uiter immō & mortaliter peccare. Dico
pauperibus quos inuenit quia necessarium
non est, ut is qui Eleemosynam largiturus
est pauperes inquirat, sed satis est quod in-
uentos, & sibi obuios refocillet & reficiat,
quamuis tamen maioris sit meriti inopes
inquirendo reficere, quam obuios, refo-
cillare.

E Igitur

2. 2. q. 31. a. 5.

Miseri-
cordia
peccata

Igitur vltra hos casus Eleemosyna non est preceptum sed consilium vt bene annotauit Benedicti, posset siquidē fieri vt homo ad largiendū Eleemosynam, nunquam sub pœna peccati mortalis obligaretur, quia proximū nunquā in extrema necessitate constitutū obuiū vidisset. Sed nunquid hæc dixerim fortē in detrimentū pauperū nequaquā. Attamen qui de necessarijs pauperib⁹ erogat duplicē sibi in cœlo coronā parat; & Hos tum Sanctōrū dicta, tum antiquorum exempla frequentia comonefaciunt. Nam nūc superfluitates diuitiarum, pauperum esse testantur, modò panē superabundantem famelicorū esse dicunt. Et licet opulenti in proprias dominētur opes, nihilominus tamē quæ superflunt, ita pauperibus erogare debent quasi pauperum & inopū hæreditas esse videatur. D. Basilium audiamus: *Est panis famelici quem tu tenes; nudi tunica quam in conclauī conseruas, discalceati calceus qui penes te marcescit, indigentis argentum quod possides inhumatum; quocirca tot iniuriaris, quot dare valenses.* Insuper & D. Ambrosium non minora referentem. *Neque enim maius crimen habenti tollere quam cum possides & abundas, indigentibus denegare, esurientium panis est quem*

*In cap. 12.
in Luc.*

Serm. 81.

quem tu detines. His accedit illud Augusti-
 ni: *Cetera quæ superflua iacent aliorum sunt in Psal. 147.*
necessaria, superflua igitur necessaria sunt
pauperum, res alienæ possidentur, cum super-
flua retinentur & infra: Quidquid deus nobis
plusquam opus est dederit, non nobis speciali-
ter dedit, sed per nos alijs erogandum transmi-
sit, quod si non dederimus, res alienas inuasi-
mus. Serm. 219.
de temp.

Aliàs Patres asserunt diuites, opum sua-
 rum non Magistros, sed tantum dispensato-
 res, præcipue verò earum quæ superabun-
 dant superfluitatum, si non lege Iustitiæ
 saltem charitatis imperio, ut rectè nota-
 uit D. Ioannes Chrysostom: *Tuarum es ho-*
mo dispensator pecuniarum, non minus quam Hom. 34. ad
qui Ecclesia bona dispensat; non ad hoc acce- Pop.
pisti ut in delicias absumeres, sed ut in Elee-
mosynas erogares. Nunquid enim tua possides?
res pauperum tibi sunt credite, siue ex labo-
ribus iustis, siue ex hereditate paterna possi-
deas.

Aliàs insurgunt Patres eosque qui bene-
 facere indigentibus nolunt, charitatem
 Patris habere negant. Talis est August.
 qui in hunc modum loquitur. *Forte dicis,* In 1. Ioannis:
quid ad me pertinet? ego sum daturus pecu-
niam meam ne ille molestiam patiatur? si hoc

E 2 tibi


tibi responderit cor tuum, dilectio Patris non
in te manet, si dilectio Patris non in te manet
non es natus ex Deo, quomodo gloriaris te esse
Christianum?

Lib. 1. offic.
c. 31.

D. 86. can.
Pasce. 2. 2.

Ezech. 5.

Fulminant præterea Patres & voce pub-
lica eos graviter offendere testantur quod
indigentium necessitati subuenire grauan-
tur. *Grandis* (inquit D. Ambrosius) *culpa*
est, si te sciente fidelis egeat, si scias eum sine
sumptu esse, fame laborare, ærumnâ pati. nec
addere dubitat iuxta Gratianum, eum ho-
micidam esse qui famelicum noluit susten-
tare. *Pasce esurientem si non pausti occidisti.*
Si igitur grande crimen est à diuite sua fu-
rari, quanto maior est iniquitas pauperem
defraudare? Hic namque diues bonis spo-
liatur, sed pauper etiam vita priuatur. Datur
ergò quod superest Eleemosynam. Nun-
quid ignoras Deum Prophetæ imperasse ut
capillos omnes abraderet? hieroglyphicè
ut reor erat, diuitiarum superfluitates pau-
peribus distribuendas esse, combu-
rendo eas igne charitatis & Mi-
sericordiæ.



AD

AD DIVITES VT HOC
DIVINVM SERVENT CON-
SILIVM, ESTOTE MISE-
ricordes.

CAPVT. XVII.

Reliētis itaque variarum interrogatio-
num ambagibus, relicta inquisitione
præcepti vel consilij vobis ea verba dicta
credite, *Estote Misericordes*, munifici esto-
te, beneuolos vos in vestris erogandis o-
stendētes. Date quæ superflua sunt rescin-
dentes à cordibus vestris à manibus vestris
diuitiarū superfluitates, imitamini in hoc
animalia bruta, volucres cœli, quæ quod
superabundat in corpore nullatenus pati-
untur. Ceruus cornua deserit, noua assu-
mens, serpens pelle vetere exuitur, noua
vestitur, arbor folia deijcit, noua verno tē-
pore sumit; quanto magis ergo vos diuites
opum vestrarū superfluitates derelinquere
conuenit? Nec ignoratio innocios vos fa-
ciet, nam & bona quæ possidetis non so-
lum non vobis, vestroque vsui data esse sci-
tis, sed etiam ea pauperibus distribuenda
esse

esse cognoscitis. Vos Deus dispensator
 pauperum fecit, quibus si nō diuidatis, in
 delitatis iure apud eum accusari potestis.
 Si Principis cuiusdam tutores effecti sub
 stantiam eius omnem possideretis, eum ta
 men penuria laborare permetteretis, nun
 quid crudelitatis nomē vobis conueniret?
 Attamen Iesus Christus totam vobis sub
 stantiam suam concessit, quanta igitur pu
 tatis reprehensione fore vos dignos si mē
 bra Christi, pauperes inquam inopia labo
 rauerint? Sit vobis in exemplum diues e
 pulo qui quia Lazaro indigenti micās quae
 cadebant de mensa sua denegauerat, in in
 ferni penetralibus sepultus fuit. Hoc vo
 bis ante oculos obuersetur exemplum, in
 corde scribatur, in aedificijs vestris sculpa
 tur, in manibus sit, siquidē illud quasi spe
 culum toti mundo proponitur. Arbitra
 mini Deum ideō vobis bona tribuisse, vt
 pauperes munificos vos experiantur, & vt
 benignitas vestra omnibus pateat? Erra
 tis, totoque cœlo hallucinamini, si Deum
 vobis diuitias ad voluptatum vestrarum
 condimentum tribuisse putatis.

Nunquam Deus hunc in finem homini
 bus commoda tribuit vt eis abutantur, sed
 vt eis vtentes pauperib⁹ superflua largiatur

verbis meis fidem non adhibetis? Astutia
 credite diabolica est, qui vos terrenis diui-
 tijs irretitos, supernis vult spoliare gaudijs,
 quoniam Misericordiam odit cane peius &
 angue quia Misericordia expers factus est;
 Huic huic fallaci ne credite, sed voces indi-
 gentium pauperum clamores, pupillorum
 vlulatus attendite dicentium, nostra sunt
 quæ possidetis, nostra est substãtia qua glo-
 riamini, qua superbitis. Lazarum præ fori-
 bus stantẽ Misericordi oculo conspiciate, ne
 vestras obturetis aures, nisi fortẽ Iustitiam
 Dei cupitis experiri. O vtinam, quæ loquor
 cordib' vestris infixæ forent, vt ijs moti ter-
 renarum diuitiarũ curis postpositis ad cœ-
 lestia pergeretis! Vtinam vtinam thesau-
 rorum efficaciam agnosceretis, quæ non in
 gazophylacijs vel in ararijs inuenitur, sed
 quæ in manibus pauperum & egentium,
 crescit & inuenitur. Vtinã vos Ecclesiastici
 agnosceretis non vestra vos, sed pauperum
 bona possidere, quæ nihilominus in vsus
 Deo displicentes expenditis! Vtinam vos
 ô Reges & Principes, intelligeretis vobis in
 Principatus concessione, specialem paupe-
 rum, viduarum, orphanorum curam com-
 missam esse, quos tamen contemnitis.

Vtinam agnoscerent Ciuitatqm Præpo-

E 4 ^{fiti}

fiti ideò sibi honorum culmina tributa fu-
 isse, vt pauperes viduas protegant. Vtinam
 duces exercituum ideò arma fumerent
 pauperibus subueniant. Quibus nulla for-
 tior, hoc merito armatura tribui posset.
 Vtinam arbitraremini mercatores opulenti
 Eleemosynas quas in vsus & sustentatione
 pauperum expenditis infinitum vobis in
 cœlis comparare thesaurum. Nec enim so-
 lummodo temporalia dantibus, tempora-
 lia augentur, sed etiam temporalia largien-
 tibus Spiritualia, æterna, cœlestia compa-
 rantur. Date igitur gratis, date beneuolè
 quæ à Domino benigne & munifice acce-
 pistis, date gratis, nam Eleemosyna vi ex-
 torta, non Eleemosyna, sed extorsio dici
 melius potest.

Paucis igitur vos monitos volui (o diui-
 tes) quibus temporalium bonorum afflu-
 entia suppetit, vt vos ad diuinarum acqui-
 sitionem opum inducerem, & ne
 ignari, sententiam immiseri-
 cordiæ incurreretis.

CAL-

¶¶¶¶¶¶¶¶:¶¶¶¶¶¶¶¶¶¶¶¶¶¶

CALVA QVORVNDAM
EXCVSATIO DIVITVM
INOPIBVS SVA LARGIRI-
nolentium.

CAPVT XVIII.

QVorundam audire videor Immiseri-
cordium excusationem, dicentium,
Rectè loqueris pater quasi verò nobis alia
non essent negotia quam quotidie ad Mi-
sericordiæ domum concurrere.

Alij dicunt vectigalia persoluenda no-
bis sunt, ideòq; Eleemosynis insistere non
vacat. Persoluit quisquis talis est vel inui-
tus vectigalia quia cogitur, licet ex annuis
redditibus parum vel nihil susceperit, licet
fructum terra nō dederit, exactoribus tri-
butorum valorem quotidie exigentibus;
& tamen post bonorum multitudinem in-
finitam à Deo receptam, dare pauperi et-
iam quod suum non est subterfugit. Cal-
uam fortè prætexens excusationem allega-
bis Principem vectigalia exigere, vt milites
stipendiarios nutriat, mœniorum demoli-
tiones recolligat, vt bellum barbaris & Hæ-
reticis

reticis inferat: Verum hoc quidem consen-
taneū est; attamen Regem habes potentio-
rem, Regem inquā coeli terreque qui exer-
citū hic in terris habet, quē si paueris haud
dubio Orationibus suis tanquam sagittis
ignitis inimicos Inuisibiles expugnabit.

Alius inferet. Diuitiæ quas hæreditate
successiua possideo meæ sunt, has ex parte
laborū sudoribus conquisiui nunquid igi-
tur pro libitu eis vti licebit? Nunquid ei tri-
buam cui in nulla re beneficij vinculo de-
uincior? Quæ mea sunt expendo, quid eo-
rum interest? insensatam humanæ mentis
fatuitatem! Pars corporis tui, Frater tuus
fame tabescit & tu nulla Misericordiæ scin-
tilla permotus gaudes in bonis, volutaris in
delicijs & epularis; Frigore rigent propter
nuditatem Fraternalia membra, & tuacistis
inclusa vestimenta corrodit tinea.

Alius fortè obtundi sibi caput ex ni-
mia mendicantium multitudine conque-
retur. O Insensatam inhumanitatem!
Nunquid Christus molestus vobis esse po-
test? Ipse est qui voces pauperum ad instar
tubæ inflat, prouocans vos ad Misericordiæ
viscera expandenda. Ne igitur conquera-
mini de pauperum viciferatione, sed e con-
tra Sapientis dictum exequimini: *Pauperi
manum porrige.* Alijs

Eccles. 7.

Alij forsitan venturam fortè fortuito
 veritj necessitatem, sibi ea quæ habent
 semper defutura suspicantur, quasi verò ea
 quæ in Christi nomine largita sunt minui
 possent, non verò magis ac magis cumula-
 rentur. Reuera Auaritia est quæ hûc vobis
 prudentiæ obuelata mantello incutit ven-
 turæ necessitatis horrorem, sic vobis eam
 necessitatem incutiens. Videte vobis; neq;
 vestra bona & diuitias magno labore con-
 gestas dissipetis futurum namque fortè est
 vt deinceps eis indigeatis. Cumulate diui-
 tias, congerite opes, quibus vestras hono-
 rifice, coniungatis proles, natura hoc præ-
 cipit Auaritia suadet, Tenax efficit. Hoc
 est Humanæ prudentiæ velamen, hæc A-
 uariciæ species quæ vos in dies efficit diui-
 tiarum amantiore. Non hæc, non hæc vt
 paret Prudentia est, sed inhumanitas Pru-
 dentiæ velata tegumento. Friuolis his ne
 credite nugis, sed verba Salomonis perpē-
 dite dicentis: *Qui dat pauperi non indige-*
bit, qui despicit deprecantem sustinebit pe-
nuriam, & alibi: Non affliget Dominus
fame animam iusti. Hinc enim claret ni-
 hil Misericordi vnquam defuturum, immi-
 sericordi autem etiam ea quæ habet non
 sufficient. Hanc diffidentiam reprahendēs
 Chri-

Proverb.28.

Proverb.10.

Christus inquit *considerate volucres caelestium* quae neque serunt, neque metunt, & Deus pascit eas, quanto plures estis vos? volucres quotidiano Deus sustentat alimento, & humana mens diffidentiae infatuata timore, id sibi putat defuturum quod Deus animalibus subministrat quotidianum. Audite Pontificem his verbis sententiam auream connectentem. *Non timeatur in ijs expensis defectio facultatum, quoniam ipsa benignitas, magna substantia est nec potest largitatis defecte materies, ubi Christus & pascit & pascitur.* Alij fortè mancipiorum & seruorum ab obsequijs multitudinem obijcient, dicentque: Nunquid familiaribus & domesticis subtraham vt incognitis largiar? dico verba hæc, esse verba Nabal, qui nolens familiaricum Dauid reficere, dicebat: *Tollam ergo panes meos & aquas meas, & carnes pecorum, quæ occidi tonsoribus meis & dabo viris quos nescio unde sint?* Huicne similes esse desideratis? Absit. hunc enim sola auri & habendi cupiditas obcecatum ab operibus Misericordiae abstraherat. Alij fortè resumptes & insistentes prolium numerum obijcient. Sed tantò melius. Quantò enim abundat prolium numerus, tanto largiora sunt Misericordiae expandenda viscera, siquidem

Leo Pap.
serm. 10. te
quadr.

1. Reg. 25.

quidem perſæpe proles peccatorum cauſa ſunt, quæ parentes Eleemoſynis redimere poſſunt. Inſuper filiorum animas ſaluant quæ omnes peccatorum vinculis detinentur prout teſtatur Iob, qui per ſingulos di- *cap. 7.*
 es in ſalutem filiorum iram Dei in ſe pro-
 uocantium, Deo victimas offerebat, bona
 pauperibus erogabat, vt vindictam Dei au-
 uerteret. Cum denique filij & liberi ſint
 meliores plerumque diuitijs vacantes, quã
 opibus abundantes. (eſt namque abundan-
 tia diuitiarum fomes & nutrimentum per-
 ſæpè malorum.) Vnde videntur Parentes
 liberis diuitias congerentes, damnationis
 porrigere instrumentum. Ne igitur caluã
 hanc afferat mihi quis excuſationem. Nam
 nunquid diuitias à Patre accepisti, ſine du-
 bio. Igitur filij filijs qui ex eis naſcentur
 hæreditaria ſucceſſione relinquent, & ge-
 neratio illa generationi quæ ſucceſſura eſt,
 & per conſequens à diuinis erunt præcep-
 tis immunis. Hanc cauillationem repri-
 mit & impugnat D. Auguſtinus dum in-
 quit: Si filijs diuitias cumulatis, cur igitur *In decachord.*
 cum interit filius eius bona pauperibus nõ
 erogatis? Cur partem quæ illi contigit af-
 ſeruatis, veſtris vſibus eã applicantes? mor-
 tuus eſt dicis; ergò hæreditas eius pauperi-
 bus

Matth. 25.

bus eroganda est. Eius anima ad Deum iuit
 eius bona Dei membris eroganda sunt, qui
 pauperes hoc nomine dignatur, dicens
Quod uni ex minimis istis fecistis mihi fecistis. Sed inquis, Fratribus asseruo. Illi
 fuit qui mortuus est viuenti dare voluisset,
 quod mortuo subtrahis, nunquid quia in
 cælo perire potest thesaurus ille, in quo
 thesaurorum infinita asseruatur copia? Hic
 thesaurum illum asseruas vnde perire po-
 test, filio beato, beati membris denegans
 auferis, quod suæ hæreditatis erat. Hinc pa-
 tet calua & inutilis parentum excusatio.
 Virtutum & honestatis congeriem libe-
 ris in hæreditatem successiuam tribuite,
 non verò diuitiarum pestem, animæ dam-
 nationem, mortis causam destinate, quæ
 quidem perire possunt, sed nec virtutum
 cumulum, tinea demoliri potest. Relin-
 quite eis creditores, (pauperes dico) qui
 in nullo eis deerunt. Date fide iussores qui
 non bona dissipent, sed ea centuplò accu-
 mulent. Ne igitur de cætero filios objicia-
 tis, nam etiam bene faceretis si filijs quan-
 doque pauperes indigentes præferretis.
 Cum dira fames per totam terram Israël
 grassaretur, mulier Sareptana rogata ab
 Elia panem subcinericium nequaquam du-
 bita-

bitavit virum Dei sibi præferendum, sed subito quod rogabat impetrauit. Nunquid ^{3. Reg. 17.} hoc Deo displicuisse quisquam arbitrabitur? Nequaquam, quin immo Deo maxime gratum acceptumque fuit ut patet legenti textum. Elias Christum figurabat qui per dies singulos in membris suis, in pauperibus stypè à vobis emendicat, quandoque ipsemet ut infra dicitur, nunquid ergo iniustitiæ maximæ adscribendū erit, si ut filium sustentens, Deo omnium bonorum largitori quod iustum est deneges?


Ne igitur quisquam mihi liberorum obijciat nutritionem, neque pariter eorū causa ab operibus Misericordiæ auellamini, Nam non solum fructus procedit ex Misericordia, sed etiam eam sequitur beatitudo. *Tota* (inquit Psalter Regius) *die iustus* ^{Psal. 36.} *miseretur & commodat & semen eius in benedictione erit. Et infra Iusti autem hereditabunt terram, & inhabitabunt in seculum seculi super eam.* Quæ non solum calcaria vestris addere debet operibus, verum & in ipsam Misericordiæ ædē introducere. Hoc cōfirmat propositū S. Gregorius Tu- ^{Lib. 2. hist.} ronensis qui refert vocem quandam auditā ^{cap. 24.} Eleemosynario dicentem: Eredicie Eredicie

dicie (hoc enim nuncupabatur nomine
 nunquam panis à domo tua recedet, nec
 femine tuo post te, quia grassante fame
 paupisti, membra mea, pauperes inquam, re-
 ficiendo. Estote ergò sine cauillatione Mi-
 sericordes, benefici, Beneuolique in pau-
 peres. Nec enim est vnde caluam prætexa-
 tis excusationem vt patebit in exemplo di-
 uitis epulonis: Qui iudicio meo, excusatio-
 ne omni (quamuis vana & inutili palliare
 possit immisericordiam suam) vacat. Nam
 forte dicit? Cui bona largitus fuisset, cum
 nemo sese offeret? Sed calua hæc. Legimus
 siquidè in Euangelio quia Lazarus mendic-
 us erat. Quod si denuò se non vidisse alle-
 gauerit, mendacij conuincetur; nam ex
 textu legimus quod Lazarus præ foribus
 iacebat: Si denique vires illius impugnans
 otioso, (forti tamen) negauerit esse dandū,
 nec tamen inde cautelam euasionis inue-
 niat, erat enim languidus & præ vlcerum
 multitudine iacens. Et vt testatur D. Ioan-
 nes Chrysost: tanto viscerum dolore tor-
 quebatur vt non solum mouere se & ope-
 rari non posset, sed nec canes in se concur-
 rentes abigere valeret. Non igitur accedio-
 sa torpedine tactus, humi volutabatur, sed
 in supportabili vlcerum multitudine quaf-
 satus;

Luc 16.

*Serm. 4. de
Lazaro.*

fatus, infirmus moriebatur, Rursum inferet epulo, tali importuno dandum non est. At importunitatis falsò nomen ei adscribit, siquidem non diuitiarũ cumulum sed fatietatis viaticum peroptabat. Delicatiores (inquiet fortè) cibos perquirebat, sed nec hoc mantello opertus Immisericordię vitium euades: Cupiebat saturari de micis quæ cadebant de mensa tua. Curam illius famulis (inquiet) dederam. Sed & falsa nimis caluaque excusatio est, nam nemo illi dabat. Denique vt confundatur diuitis immisericordia, refert textus Euangelicus canes lambuisse vlcera eius. Nunquid datur aliquis excusationi locus? Nunquid hæc historia condemnat, adhuc hodiernos diuites, in immisericordia diuiti epuloni similes? Qui tamen caluas affingere non verentur excusationes.



F

QVOD



QVOD NON SOLVM
DIVITIBVS SED ETIAM PAU-
PERIBVS VERBA HÆC: ES-
tote Misericordes, dicta
fuerint.

CAPVT. XIX.

VOso miseri atque pauperes hocci-
merito procedente ex Eleemofyna
largitione priuabimini? nunquid fructus
huius virtutis ad vos deuoluetur? Nunquid
hæc verba vobis etiam dicta arbitramini?
Omnino sane, siquidē paupertas ab Eleemofyna
neutiquam retrahit, vidua namque
bonis omnibus destituta duo minuta milia
in gazophilacium acceptiusque fuit Do-
num Deo, quam dona diuitum bonis om-
nibus abundatium. Estote ergo Misericor-
des quandoquidem Misericordia non mo-
do virtus est, sed & virtutū plenitudo. Ideo
tam pauperibus, quam diuitibus sequenda
proponitur. Det pauper de substantia sua
sicut possidet, det diues secundū quod ha-
bet. Ne igitur bona perquiras vt ea paupe-
ribus distribuas sed da quod habes. Si non
sufficis dare pauperi panem vel vinum aut
num-

Luc. 21.

nummum, da ciphum aquæ frigidæ & Mi-
 sericordiæ fructu neutiquam fraudaberis.
 Si &c. aqua defuerit consolationis verbo
 pauperi subuenias, nō enim dona sed cor-
 dis integritatem attendit Deus. Pars eorū
 quæ possides à te exigitur.

Parua nam que seges satis est. dumodo in-
 tendas plura dare si diuitiarum media sup-
 peterent. Si denariū habes, denarium tri-
 bue si nō habes iam satisfecisti desiderio id
 adimplens quod opere medijs deficientib⁹
 non vales exequi. Panem quem habes indi-
 gens indigenti tribuis misertus infirmita-
 tis humanæ q̄ tu ipse in te expert⁹ es, cuius
 si miserix sortem diuites experirētur, haud
 dubio illud decantarent.

*Tib lib. 1.
 Eleg. 1.*

Non ignara mali miseris succurrere disco.

AEneid. 1.

Ne obmurmuretis pauperes, ne obstre-
 patis in diuites qui multo ære abundant
 pauca vero largiuntur; ne iugum pauper-
 tatis aspernemini quia diuites nihil ex a-
 bundantia tribuunt, quia non ipsi diui-
 tias possident, sed arca possidet, auari-
 tia gaudet, crumena pinguescit ipsi diui-
 tes in diuitijs pauperes efficiuntur. Quis
 obstrepet contra crumenam? quis insur-
 get in arcam? quis inuidebit foelicitati
 gazophilacij? Ne verba maleuola effu-
 tiatis,

tiatis, sufficit namque voluntas, date voluntate si media desunt, si dare opere non potestis. Nam non opus coronat Deus, sed voluntatem bonam ex qua prodit Misericordia remunerat altissimus. Vnde nemo ab Eleemosynæ distributione prorsus vacare potest. Nam à vobis pauperibus, Cor auelli nullatenus potest. Nunquid beneuola in proximum indigentem affectio à vobis tolli potest? nequaquam. Nemo dare potest nummum quem non habet, at quilibet, cor offerre potest quò semper gaudet, Misericors esse potest, cum innata sit Misericordiæ scintilla vt rectè testatur Iob:

Ab infantia mea mecum creuit Misericorsio.

Quam qui habet fieri aliter non potest quin Misericorsionibus proximi commoueatur. Estote igitur Misericordes, Licet enim media desint, licet arcæ thesauris vacent non vacet cor compassione, non vacet desiderio benefaciendi si quod deest abunde suppeteret. Hoc facite, nec solum Misericordiæ fructus consequemini, sed beatitudinis etiam gloria & retributione accingemini. Beati eritis Misericordes, nam non solum beati, qui bona possidentes bonorum suorum participes faciunt inopes, sed Misericordes beatos esse dixit, supple qui voluntate

Iob. 31.


luntate mædijs non suppetentibus Misericordes inueniuntur, ne forte pauperes hac beatitudinis stola fraudarentur. Neque enim sola Miseratione calamitatis proximi, diuites diuinum adimplent mandatum si vnde tribuant habuerint; Pauperes verò quibus nihil præter voluntatem, diuitiarum suppetit, si compassiuæ proximorum condoluerint infirmitati, virtutis meritū, & Misericordiæ fructum consequuntur. Nam vt testatur D. August. *Quicquid vis, & non potes, factum Deus computat.* ^{Sup. Psal. 57.} Sicut & Aristoteles qui ait: *magis eligenda voluntas sine actione quam actio sine bona voluntate.* Quam etiã opinionem plane Christianam ^{Prior. 2.} Ouidius apertius enucleat dum canit.

Vt desint vires tamen est laudanda voluntas, ^{de Ponto. Eleg. 4.}
Hac ego contentos auguror esse Deos.
Hac facit vt veniat pauper quoque gratus ad aram.
Et placeat caso non minus agna boue.

¶: 50

¶

F 3 VT



VT PERTRAHAT DE-
VS HOMINES AD CHARITA-
TIS PALATIVM BEATITV-
dinem promittit dicens Beati
Misericordes.

CAPVT. XX.

coloss. 2.

Iuuen. saty. 11.

DEus penes quem tota scientiarum re-
condita latent secreta, diuinitatis suae
luce prospiciens hominē nihil laboris, pe-
riculi nihil sustenturū nisi laborū præmia
assignarentur, *Quis enim virtutē amplecti-
tur ipsam præmia si tollas?* sciens inq̄ neminē
opera Misericordiæ arrepturū præmij spe
sublata, voluit is qui cæteris reb⁹ prouidet,
& in hoc opere munificum beneficūque
sedemonstrare. Ideò huic virtuti studentibus
non temporariā, non labilē & caducam
pollicetur compensationē, sed eam q̄ solis
deberetur mentibus beatis, promittit bea-
titudinē. Hac enim voce cōpellabit electos
qui Misericordiæ viscera expanderint: *Ve-
nite benediçti patris mei percipite regnum,
quod paratum est vobis à constitutione Mundi
&c.* Ecce, non temporale, non caducum
& transitorium pollicetur præmium, sed
ater-

æternum promittit regni sui domicilium.
Beati inquit Misericordes. Hæc beatitudo
 quinta est, nec abs re Iustitiæ beatitudinem
 sequitur, per Iustitiam namque cuique
 quæ sua sunt tribuuntur, per Misericor-
 diam verò, etiam quæ propria hæreditate
 possidentur alienis elocantur. Beati (sane)
 Misericordes. Ij omnes quos scriptura sa-
 cra viros iustos commemorat huic virtuti
 studuerunt, iter ad eam nobis parauerunt,
 semitam pre multitudine deambulationis
 triuerunt. Iique præcipuè qui vitæ acti-
 uæ quæ tota in pauperum solatium vergit,
 operam dederunt. Licet autem hæc bea-
 titudo à Christo diuitibus Misericordibus
 promissa fuerit, non tamen ea fraudantur
 pauperes vt supra diximus, qui medijs de-
 ficientibus voluntate pauperib⁹, obsequū-
 tur, quiq; iure dicere possunt cum patien-
 tiæ speculo S. Iob : *Compatiebatur anima* Cap. 30^a
mea pauperi. Beati sunt Misericordes in hac
 valle lachrymarū constituti propter spem
 quam de recta semita Misericordiæ conce-
 perunt. O admirabilem diuinæ Sapientiæ
 Prouidentiam! Tenacitatem nouerat Deus
 humanæ mentis erga inopes, ideoque vt
 præmiorum spe attracti in hanc virtutis

femitam declinent, sublimia, tantaque pollicetur Misericordibus præmia. *Beati Misericordes.* Hic diuina paret prouidentia, qui ad instar parentis filio scholas virgæ timore perterrita adire nolenti, pomum aut quid simile promittit, Filius subito concurret ad classem ut promissi paterni compos efficiatur: Sic tu Leodiensis populum quem Deus ut pertrahat ad charitatis opera beneficijs infinitis affecit, te inquam Deus promissionibus his honestauit, ut promissionibus allectus in eam virtutem concurreres ad quam iam tardus inueniebaris.

Beati Misericordes. Quæ maior vestrae futuræ Beatitudinis certitudo reperiri potest? quæ quidem omnis paupertatis atque indigentia expers est, quam non morstet, non vanitas extollit, non ambitio torquet, quæ denique malorum omnium infirmitate caret. Gaudet bonis omnibus, lumine indeficienti collustrata lætatur, gaudijs perfruitur æternis, gaudium æternum ipsamet confert & tribuit beatis, Vitam sine morte tribuit, charitate abundat, pacem confert, Ibi, ibi cernemus facie ad faciem ah! nimium diu circumuelatam diuinitatis imaginem. Nec est quod huiusce beatitudinis amœnitatem exponere studeam, cum neque

neque lingua effutierit, neque auris audierit, nec in cor hominis ascenderit quanta Deus præparauerit diligentibus se. Frustra ergò Geometra longitudinem metiri gestiet, frustra Arithmeticus numerum gaudiorum perpendet, frustra logicus & orator referre volet quanta sit huius beatitudinis excellentia, cum & magnitudinem & longitudinem & profunditatem ipsa ignoret scientia.

Quod cum ita sit facilè perpendere est quanta sit Charitatis & operù Misericordiæ retributio, cum temporalia largiendo acquirantur sempiterna, temporalia denegando etiam acquisita bona deperdantur, & cœlestium præmiorum (quod maximè dolèdum) est fiat iactura. Quod ut apertius ostenderet Granatensis temporalis boni lucrum cum eius largitione vobis in æquilibrio obijcit, quod cum consideraueritis certus sum in admirationem vos rapiendos, curque mortales eius amore præmijque nobilitate cognita non solummodo sua sed etiam seipfos diuendant admiraturos. Hæc igitur promissa Misericordibus beatitudinis sc̄licitas, non solum in eius amore pertrahere debet, verum etiam ut eos quibus opera Misericordiæ confera-

F 5 mus,

mus, inquiramus, calcaria stimulosque ad
dete valet.

in Psal. 120.


Psal. 118.

In Ex.

Hic inquireret aliquis si bene bonū solo re
spectu retributionis, atque sola præmij spe
bona sua pauperib' largiri, Nullatenus du
bitandum Respondeo siquidē sic affirma
Ecclesiæ lumen Aug. *Quando* (inquiens)
facis bonum opus, propter vitam eternam facis,
si ideo facis, securus facies, hoc enim mandavit
Deus. Illud quidem opus bonum primario
amorem Dei intueri debet, vitam æternā
tamen secundario quemadmodū psalmista
regius bonū se fecisse testatur dum canit:
Inclinaui cor meum ad faciendas iustificatio-
nes tuas in æternum propter retributionē. Vn
de patet non primarium finem Eleemosy
næ esse debere retributionem sed faciendā
esse propter amorem Christi qui retribu
tionum præmia digne dignis confert; alio
quin, non grata Misericordiæ videretur da
tio sed potius diuinorū gaudiorum astuta
venatio, vt bene notauit D. Hieronymus
dum scribit: *Sunt qui parū pauperibus tribu-*
unt vt amplius accipiant; quæ magis venatio,
quam Eleemosyna est appellanda.

Ad felicitatem promissionis regredior
quæ tot antiquos mouit Patres, tot in sui a
morem concitauit, tot in suorum bonorū
diui-

diuisionem stimulauit, vt longum foret recen-
 cere. Plerique enim venditis omnibus
 atque in vsum pauperū erogatis fœlices se
 dum pro pauperibus ditandis inopes
 factos se viderēt arbitrabantur. Sola nam- *Act. 2. & 4.*
 que promissionis virtute 8. millia hominū
 bona sua in comunē vsum eorū qui erant
 in Hierusalē distribuerunt. Quam promif-
 sionem diuitibus etiam obiecit vt eos ne a-
 uari essent in nutriēdis pauperib⁹ admone-
 ret, vt hi peractis operibus charitatis Beatæ
 promissionis fœlicitate, exultanter gaude-
 rent.



FOELICITATEM HO-
 MINIS CHARITATIVI IN-
 TRIBVS CAVSIS HOC VERSI-
 culo contentis dicit consistere Psaltes Re-
 gius: Iucund⁹ homo qui miseretur & com-
 modat disponit sermones suos in iudi-
 cio quia in æternum non com-
 mouebitur.

CAPVT XXI.

Dicit itaque Propheta Regius eum qui
 miseretur iucundū esse debere, *Iu-
 cundus homo qui miseretur & commodat, nec
 abs*

abs re, cum ea quę pauperum obsequijs
 pendimus, ad cœlũ, quò tempore suo, pe
 uenire anhelamus, transmittamus, nec
 latronum insidijs subiecta erunt, sed viar
 ribus tutis deferentibus, tuta nobis refe
 uabuntur. Sic testatur Sapiēs dum ait: *Ma*
te panem tuum super transeuntes aquas, qu
post multa tempora inuenies eum, Transe
 untes aquas, pauperes & inopes sunt, qu
 afflictionum atque tribulationum procel
 lis vndique agitantur. Quoniam igitur ho
 mo misericors quę Misericorditer distri
 buerit, salua recipiet, ideò illi exultandum
 atque lætandum aſſerit Propheta. Nam cū
 homines Deo, per manus pauperum sua
 bona commodant propter certitudinem
 retributionis & lucri habent vnde læten
 tur, non vero ita cum homo homini com
 modat, cuius promissio plærumque falsa,
 cuius fides cernitur inanis, cuius retribu
 tio, si retribuerit vel tarda vel nulla vtcum
 que reperitur. Non ita est in hoc telonio in
 quo cum tua bona pauperibus erogaueris,
 Deo spondente, Deo restituente non ea
 solum quę dedisti sed centuplata atq; sum
 mam infinitam superantia recipies. Sed si
 Christianus es quid vereris? Refert Valeri⁹
 Maximus Gallos antiquos immortalitatē
 animæ

Eccles. 2.

*De instit.
 Gallor. l. 2.
 cap. 1.*

COR.
 quijs
 uo, p
 s, nec
 ed viat
 is refe
 it: Ma
 as, qu
 Franse
 nt, qu
 rocel
 ur ho
 distri
 ndum
 am cū
 m sua
 inem
 eten-
 com-
 flla,
 ibu-
 um-
 o in
 eris,
 ea
 m-
 d fi
 ri?
 atē
 nā

anime credentes multa auri talenta paupe-
 ribus erogasse vt ea in alia vita cum fenore
 recipere; Tu igitur qui de resurrectione
 nihil dubitas, de retributione dubitabis?
 concessum, non datum, digna retributione
 reddetur. Quoniam autem in extremo iu-
 dicij die trepidat mortalis, timet immiseri-
 cors, veretur peccator; ideo beatū secun-
 dō ex hoc dicit Misericordem, *disponit* (in-
 quiens) *sermones suos in iudicio*: Immiseri-
 cordibus namque tacentibus in die illa qua
 Deus operum omnium tam bonorum quā
 malorum retributor iustissim⁹, Misericor-
 diæ inquirat opera ipsis inquam loqui non
 audentibus, Fœlices ipsi, non oppresso ore,
 non loquela contracta sed fiducialiter, ad
 interrogata respondebunt.

Quemadmodū enim Scholasticus præ-
 scito præuisoque Magistri examine fiden-
 ter inquisitus ad obiecta respōdet: sic mor-
 talium est Misericordiæ virtuti inhærere,
 super quam Pedagogorū Magister Deus,
 quemque nostrum examinaturus est. Eos
 verò quos sua præscientia, atq; diuina Sci-
 entia in hoc opere cognouerit negligentes
 fuisse, his verbis redarguet: *Esuriui & non*
dedistis mihi manducare &c.

Disponat itaque mortalis scholasticus vt
 diui-

Matth. 25.

diuinis obiectionibus, solidis argumen-
 solidas quoque tribuat solutiones. Studi-
 operibus Misericordiae, infudet Charita-
 operibus, vt dicere valeat: Te Deum esse
 entem dum pauperem paui, sustentavi,
 Deum meum sitientem pro modico posse
 sufficientia mediorum potavi, nudum cu-
 te vidissem, pauperem operui, & te in ei⁹ per-
 sona vestiui, Cum captiuum aduertissem
 dem, mortuum te in persona pauperis
 peliui, & grotum per sepe visitavi. Quam
 felix erit, si cui Misericordiae opera tantum
 fuerit collatum scientiae, vt ad diuina obie-
 cta respondere valeat, vt nec etiam terro-
 res aeternae gehennae vereatur. Nam secun-
 dum Augustinum: *patrocinetur in die iudicij*
homini vt flammam aeternam non timeat. Qua-
 lem igitur Deum in extremo iudicij Dio-
 tibi peroptas, talem etiam in hoc seculo er-
 ga pauperes charitatem ostendas.

*Lib. 50. hom.
 hom. 47.*

Tertiam deinde beatitudinis rationem
 his verbis exprimit: *in aeternum non commo-
 uebitur*, quonia postquam charitati inset-
 uerit eamque incessanter coluerit, procul-
 dubio gaudijs perfruetur aeternis, quae bea-
 titudinem nemo tollet, nulla perturbabit
 anxietas, null⁹ timor inuadet, nulla Lache-
 sis secabit, non timebit in die malo, quia, *Fi-
 ducia*

*A*udacia magna erit coram summo Deo Eleemo- Tob. 4.
 syna, omnibus facientib⁹ eam, nec etiam deerunt qui illi patrocinentur, qui eum prote-
 gant, qui pro eius salute Deū deprecentur, nam sibi per diuitias consciuit amicos, qui beneficij nullatenus immemores erūt. Di-
 uitijs Deum placarūt, Eleemosynis peccata redemerunt, beneficijs amicos sibi consciuetunt. *Diuitia* (inquit *Sapiēs*) addunt a- Prouerb. 10.
 micos multos. D. Ambros. ait: *Si peregrinum sub tectū inducas tuum, si suscipias egentem, ille Lib. 10 offic. cap. 2.*
 tibi acquiret Sanctorum amicitias & aterna tabernacula, non mediocris ista gratia.

Huic amicitiaē conquirendæ ad eō inten-
 debat Scipio Africanus, vt diem inutiliter atque infructuose se pertransiisse fateretur, si beneficijs suis cuiuspiam fauorem & amorem sibi non conciliaffet. Huius amicitiaē studiosus erat sectator D. Ioannes Metaphr. Surius.
 Eleemosynarius, cuius animam post mortem non modica pauperum mendicantiū, atq; orphanorum & viduarū turba, in cœlum euolantem concomitabatur. Fabiola etiā nobilis matrona his insudauerat charitatis operib⁹, quæ in mortis articulo distributis in pauperum educatione facultatib⁹ in Epitaph. Fabiolæ.
 vniuersis, his cœlū empyreum sibi meruit comparare vt luculente refert D. Hieronymus

mus

mus. Sibi igitur conciliandi sunt pauperum fauores quibus tanta inest exorandi virtus. Nec de virtute orationum dubitandum est siquidem, *multorum preces impo-
bile est contemni.* Et ita fiet vt vir iustus qui miseretur & commodat, conciliatis plurimorum amicorum fauoribus, in æternum non commouetur, *Opera enim illorum sequuntur illos.* Quam bona opera! quam fausta felicitas, quæ ex infautis plerumque diuitijs emergit!

*Ambros. lib.
de penit.*

Apoc. 14.

Certum est hominem ultra bona opera, nihil prorsus concomitaturum, bonum bona sequetur opera, malum vt male perdat, & iudicent, malæ sequentur actiones. Stipetur homo in hac vita tanta famulorum frequentia quantam Salomon in hac moralium valle existens habuit, abundet infinito exercitu, militum catafractorum turma sequatur, Sit rex præclaro diademate coronatus, sit prælatus Ecclesiastica dignitate infulatus, hos tamen præter bona opera post mortem, dū viam ignotam ingressi fuerint, nihil comitabitur. Stupere tum dabitur, mirari poterit Rex famulitij frequentia se destitutum, nobiliū turba priuatum, Regalis aule dignitate orbatum, vires præteritas mirabitur dux subita metamorpho-
si in

si in debilitatem collapsas, Mirabitur denique mortalis homo viam quam antea non nouerat ingredi se debere, tunc honoribus valedicendum, tum mundana erit relinquenda potestas, diuitiæ deferendæ, Filij, propinqui, vxores destituendę, nullus amicorum morientem sequetur comitatus, sola virtus perpes amatorum cōmes quem viuus dilexit morientem nō derelinquet, sed vsque ad tremendum Christi tribunal perducet. Sequimini itaque Christi monitionē dicentis: *Facite vobis amicos de mam-* Luc. 16.
mona iniquitatis, vt cum defeceritis recipiant vos in aterna tabernacula. Date de diuitijs quæ plerumque iniquæ sunt vel quia filiæ iniquitatis, vel quia mentium humanarū sancta desideria peruertunt, in illicita pertrahentes, vel quia, eos qui eas possident varijs angoribus cruciant & quatiunt, idolatrare eos facientes; quæ plerumq; malæ partæ peius conseruantur deinde pessimè dilabuntur. Da pauperibus, diuide inopi, subueni viduæ, vt ij pro te patrocinentur & ita salutem consequaris. Nam licet diuitijs mundanos videaris tibi consciuisse fauores, nihilominus tamen diuitijs dissipatis nec fautores, nec amicos reperis te nocentes vt bene Ouid:

G Si

Si fueris diues multos numerabis amicos.

Tempora si fuerint nubila solus eris.

Lib. 1. Trist.

Non tibi sed diuitijs tuis fauent, non te sed opes tuas diligunt, coruj sunt diuitiarum cadauer inquirentes vt eas rodant; nō ita verò pauperes qui apud Deum vestri erunt fideiussores. Tales igitur vobis amicos comparate vt cum ad alteram vitam pertransieritis Lazarum non vnum sed multos vobis succurrentes inueniatis.

Luc. 16.



CONSODALES CHARITATIS INDE BEATI QVIA
MALA MORTE NON
interibunt.

CAPVT XXII.

Rationibus allatis ostendimus beatitudinem Misericordium in tribus consistere, nunc verò, nunquid quartam addere possumus. Immo sanè, siquidē scelicitas maxima est. euasionis male mortis assecratio. Non morietur Misericors violento percussus spiculo, subitanea correptus infirmitate. Id testatur D. Aug. inquit: *Non memini me legisse aliquem male mortuē fuisse, qui viuens*

*Serm. 55. ad
Fratr. ereni.*

uiuens opera pietatis bene exercuerit. Idem
 afferit Pœnitentiæ fulgur D. Hieronymus,
 Illud idem canebat psalter regius, *Beatus*
 (inquiens) *qui intelligit super egenum &*
pauperum, in die mala liberabit eum Domi-
nus & subiungit: Dominus conseruet eum vi- *Psal. 40.*
uifict eum & beatum faciat in terra & non
tradat eum in animas inimicorum eius; Do-
minus opem ferat illi super lectum doloris eius,
uniuersum stratum eius versasti in infirmi-
tate eius. Quam præclare assimilat Dei au-
 xilium matris erga filium ægrotum bene-
 uolentiæ. Quemadmodum enim mater
 beneuola filium dilectum infirmum con-
 spiciens, sæpe lectum inuertit, mouet ut
 duritie sublata, molliriem ad soporem cõ-
 citandum inducat; Sic Deus infirmo mise-
 ricordi subuenit tormenta minuens, mor-
 bi molestias oleo patientiæ leniens, Diabo-
 li tentationes spe retributionis quasi refri-
 gerio consolidans.

Si perquirat curiosus scrutator, cur
 misericors morte mala interire non pos-
 sit, eam causam Respondens esse dico.
 Quia pauperes peccatorum tineas deuor-
 rât, peccati maculas delent & extinguunt.
 Quid? nunquid manducari possunt pec-
 cata mea? maximè. Cum veritas ipsa te-
 G 2 stetur;

A

Osee. 4.

stetur: *Peccata (inquiens) populi mei comedent & iniquitatem eorum, & subleuabunt animas eorum.* Nec mirum, cum pauperibus diuitias largiendo, cum inopes diuitijs subleuando eis peccatorum nostrorum onera portanda præstemus. Delet etiam peccatum, peccatique maculam destruit. Sunt

Hom. 33. ad
pop. Antioch.

verba Chrysoctomi dicentis: *Hæc Christi adstat tribunali, non tamen patrocians, verum & ipsi persuadens iudici ut reo patrocinium præstet, & pro eo sententiam ferat, & licet milles peccauerit, coronat & victorẽ promulgate ait enim: Dat. Eleemosynam & omniat-*

1. Pet. 4.

runt munda. D. Petrus ait charitatem operire multitudinem peccatorum. Sapiens autem inquit: *Vniuersa delicta operit charitas,* quæ peccatorum multitudo nequaquam operiretur, nisi inopum mendicantium turba infinita diuitum bonis sustentaretur, eorum namque manus quas recipiendo obijciunt paratas, conscientiarum nostrarum exterminant immunditias, frustra que attollit in cælum manus veniam rogãs, qui non deprimit casinopi roganti postulata præstans.

Prouerb. 10.


Nunquid ergo voce publica misericordes beatos cum Christo dicetis, cum eorũ opera infernalium tormentorũ & ignium extin-

extinguat efficaciam? *Sicut* (inquit D. Ambrosius) *aqua baptismi gehennæ extinguit incendium; sic Eleemosyna extinguit peccata.* Serm. 31 de Eleemosyn. & Mulier. Sam.
 Aqua ignis vim minuit, Eleemosyna incendia peccatorum cõterit, *Misericordia namque & veritate redimitur iniquitas.* 2. Prouerb. c. 18. Hic inferitur diui Cypriani Carthaginensis episcopi aurea sententia qua inquit: *Sicut lauacro aqua, gehenna ignis extinguitur, ita Eleemosynis & operibus bonis delictorum flamma sopitur.* Serm. de oper. & Eleem. Nec minora sunt quæ Augustinus ad hanc materiã protulit dicens: *Dans pa-* Lib. 50. hom. hom. 59.
nem esurientibus, delictorum suorum prescit incendium. Ecce quomodo hi Sancti patres eleemosynam cum baptismo conferunt, quinimmo etiam eam baptismo præferre videtur S. Ambrosi: dum inquit: *Salua fide dixerim, Eleemosyna indulgentior est quam lauacrum, lauacrum enim semel datur, & semel veniam pollicetur; Eleemosynam autem quoties feceris, toties veniam promereris.* Loc. citato. Videte quemadmodum eius efficaciam extollens nõ solum eam baptismi sacramento comparauit, sed nec etiam baptismati anteferre dubitauit. Virtutem igitur quam Eleemosynæ tribuit mentibus vestris inscribite: *Quamuis ergò pollutus, quamuis multis criminibus circumspèctus, si Eleemosy-* Serm. 30. in c. 2. Luc.

nam feceris, innocens esse cepisti. Absterge enim Eleemosyna quod auaritia polluebat, & maculas quas res alienas diripiendo contraxeras, tuas erogando purificas. Subinde concludit eam magis ac magis efferendo. Vide ergò quæ sit Misericordiae gratia, quæ una & sola virtus cunctorum est redemptio peccatorum.

Redimit attamen Eleemosyna, peccata mortalia, Pœnitentiæ Sacramento coniuncta vel virtuali vel formali, venialia vero perseipsam diluit, sicut etiam pleraquæ sunt similia remedia, contra quæ contendere velle, *insolentissima insania est*, inquit August. Talia sunt Aqua benedicta, Episcopalis benedictio, Confessio generalis & his similia, inter quæ præcipuum Eleemosyna sibi iure optimo locum vendicauit.

*Epist. 118.
Can. medicinam de Pœnit.
S. i. ex Ambro.
& can. quamobrem eadem
d. ex Hierony.*



MISERICORDES BEATI VIDENTVR, PROPTER QVATVOR DONA CORPORIS glorificati, quæ in hoc mortali corpore, ab ijs possideri videntur.

CAPVT XXIII.

Si

SI variarum locutionum ambagibus, si sermonis prolixitate uti liceret, vijs infinitis, modis innumeris Beatitudinem Misericordium, omnibus bonis abundantissimam demonstrare liberet. Hinc namque ut ex antedictis patet mala fugantur, bona comparantur, beatitudinis foelicitas conquiratur, hinc verò non solum quod mortalem decet hominem, sed & quod corporis glorificati proprium est, misericors sibi usurpare propriumque efficere videtur. Sibi namq; claritatem, agilitatem, Subtilitatem, Impassibilitatem beneficijs in pauperes collatis cõparat, Claritate fruitur, quia nominis eius fama, per totum orbem diuagatur, cœlum ascendit, infernum torquet, Purgatorium replet. Cœlum ascendere, nemo miretur, Martinus namque cum pauperi dimidium clamidis Misericordia motus tribuisset, vocem hanc per Emphyrei cœli compita proclamari audiuit. *Martinus Cathecumenus hac ne veste donauit.* Misericordis nec solum per aëra nomen volitat, sed & in terris bona opinione cuiusque animum replens discurret, Fertur in ore cuiusque pauperis, hunc, mille laudibus, mille complent & exornant

G 4 hono-

Inchino lib. de viis parad.

honorum cumulis. Sapit benè cuique de eo prout sentit loqui, amat eius laudem qui ab eo benè afficitur tanquam propriam. Claret nomen eius in Inferno quia obstrepunt infernalis cerberi in suas potestates Misericordem non delabendum. Fulget in Purgatorio quam animæ captivæ Eleemosynis diuitum refrigerium quoddam sibi tribui sentiunt.

Caudet etiam homo Misericors in hoc Mundo agilitate quia hinc inde discurrit pauperes refocillando, viduis & orphanis subueniendo, monasterijs inopibus succurrendo, mille denique similibus charitatis operibus vacans agilis est, continuans in eis quoadusque corpore separato anima mille cœlestibus gloriæ diuinæ donis potitur. Ideò etiam assimilatur homo Misericors mercatori qui hinc inde merces circumferens ex omnibus lucrum studet accipere, *Impiger extremos currit mercator ad indos.* Sic homo charitativus nunc Misericordiæ domum inuisere debet, nunc inopum miserijs compatiens succurrere, modo viduas sustentare & alijs mercium suarum lucris intendere. Debet insuper agilitatem Abacuc inuitari qui in instanti temporis stadia pænè infinita ferente se spiritu Dei

Horat. op. lib. 1.

Dei transcurrit, vt Danieli indigenti atque *Dan. 14.*
famelico cibum ministraret.

Subtilitate pariter potitur homo Misericors, nam vt ad Patrem Misericordiarum ipse Misericors tendat cœlos omnes transcendit, transuolat, & omnia indigentium loca vt medeatur lustrat. Est denique Misericors impassibilis, nam licet infinitis prematur mundanorum improprijs, licet Hypocrita denominetur, fictus & stultus reputetur, tamen ob hæc non desistit, operatur in vinea charitatis, subueniendo cuiuslibet infirmorum necessitati. Nec impassibilem dixisse me nefandum quis arbitretur cum & incorruptibilem dicere non formidem, iuxta illud Psalmistę: *Non dabis sanctũ tuum videre corruptionem.* Immo nec manus munifica corruptioni subiacebit. Id patet exemplo Regis Osualdi Anglię, qui cum in sacro die Paschę Aidano Episcopo lindisfarmense, comitante discumberet, referente Oeconoמו turbam pauperum in ianua Eleemosynam expectare, annuit Rex exquisita quę sibi apposita erant cibaria in ferculis argenteis distribui, & ne fortẽ quispiam eorum non reportato abscederet beneficio, discum argenteum confringi curauit atque indigentibus distribui.

G 5 Quam

Quam munificentiam cum Episcopus ad-
uertisset ei benedicēs inquit: *Nunquam in-
ueterascat hac manus, q̄ & ita factū est nam
adhuc incorrupta cernitur manus quæ in
distributione pauperum viuida fuerat.*



BEATI SVNT PROP-
TER DEI PROMISSIONEM
QVI CHARITATIS OPERIBVS
insistunt quoniam ipsi Misericordi-
am consequentur.

CAPVT. XXIV.

Cap. 22.

SAlamon in prouerbijis inquit: *Qui pro-
nus est ad Misericordiam benedicetur, dū
etiam totius Sapientis Doctor primarius,
lectionem hanc mortalib⁹ inculcaret sub-
iunxit: Beati Misericordes, quoniā ipsi Mife-
ricordiā consequentur.* quasi diceret. lure po-
test Misericordiam Patris sibi misericors v-
furpare, siquidē misertus est in hoc existens
mundo inopū paupertati. Quā confidentie
securitatē confirmant loca non pauca Sa-
cræ scripturæ. *Ex substantia fac Eleemosynā
& noli auertere faciem tuam ab ullo paupere,
ita enim fiet, ut nec à te auertatur facies Do-
mini, & alibi. Esto pupillis. Misericors ut pa-*

Tob. 4.

107

ter, & pro viro matri illorum, & eris tu velut
 filius altissimi obediens, & Miserebitur tui *Eccles. 4.*
 magis quam mater. Dispersit (inquit psal-
 mista) dedit pauperibus iustitia eius manet in *Psal. 3.*
 seculum seculi. Quæ loca luculente satis ex-

primunt Deum ita Misericordis vel chari-
 tatiui miserturum, quemadmodum ipse
 pauperis vel indigētis misertus fuerit. *Bea-*
ti erunt Misericordes quoniam ipsi Misericor-
diam consequentur. Quod vt apertius intelli-
 gatur, notandū est in Deo duplicē reperiri
 Misericordiā. Altera est quā Deus reb⁹ mi-
 noribus puidet, mortalibus tribuendo ne-
 cessaria, vt sunt victus, vestitus, bona fortu-
 nā, diuitiā, &c. de hac misericordia loque-
 bāt Christus cū dicebat: Solē lucere super *Matth. 5.*
 bonos & malos, dū etiam diceret pluuiā ca-
 dere sup iustum & iniustum. Altera est quæ
 Eximia & antonomasticos dicitur qua De⁹
 peccata remittit, hominem iuste punien-
 dum non secundum delictorum qualita-
 tem punit, sed eius miseretur, qua statum
 miseræ in gloriæ sublimitatem conuertit,
 pœnas peccatis debitas remittit, purgatorij
 pœnas tollit, & sempiternarum tenebrarū
 obscuritate illuminat. Hac Misericordiæ
 præstantia fit, vt cum diues ceciderit non col- *Psal. 36.*
 lidatur, quia Dominus supponit manum suam

Si

Si in peccati mortalis maculam, labatur non mortem illius æternam patitur Deus sed Misericordiæ oculo, intuens eum, manum præbet ut resurgere valeat, & gloria cœlestis beatitudinem adipisci mereatur. Quod Tobix testimonio cautum est, qui inquit, *Eleemosyna ut Misericors in tenebras ruat, ne utiquam patitur.* Quod etiã confirmat Ecclesiasticus dũ ait: *Conclude Eleemosynam in sinu pauperis, & hæc pro te exorabit ab omni malo.* Si igitur ab omni malo, ergo à peccato mortali, ergo ab omni gehennæ incendio. Hæc iterum Misericordiæ præstantia in gratiarum collatione consistit, ideoque in die extremo inquiet Dominus: *Venite Benedicti patris mei percipite regnum quod paratum est vobis,* supple propter opera Misericordiæ quæ indefinenter pauperibus contulistis. Quam felices aures, quam beatus auditus ille, quo hæc vox filij Dei ad Beatorum animas dilabatur, Beati tunc sine mensura erunt, *quoniam Misericordiam consequentur.* Ad Misericordiam non hominum quæ exigua est, sed superabundantem. Nam si magnos magna prestare decet, æquum est ut Deus qui omnem excedit magnitudinem, in Misericordia ostendat bonitatem, Non humanam dico, quæ

Tob. c. 4.

Eccles. c. 29.

quæ in caducis rebus versatur, qualis erat Senecionis, qui effrenato animo atque insaniente mente, omnia sibi ad obsequium necessaria ingentia atque mensuram æquitatis excedentia comparabat. Nam pateras quibus utebatur ambabus manib⁹ vix subleuare poterat, æquos ingentis staturæ habebat, cibarijs munusculis qualia sunt nuges, racemi &c. vesci volebat, mulieres parvulas in oculis non sustinebat, vestibus utebatur, quarum ora longo tramite sequebatur. O insanam humanæ mentis magnitudinem! melius satiusque fuisset, si hæc superuacanea superfluaque in Eleemosynas conuertisset, indeque Misericordiam Dei quæ omnem superat mensuram sibi comparasset. Iuxta illud psalmistæ dicentis:

Miserere mei Deus secundum magnam Misericordiam tuam. Hic insipienter magnus erat, at verò Deus essentialiter magnus est.

Psal. 50.

Magnus Dominus Deus (inquit psalmista)

& magna virtus eius. magna virtus in Misericordia, quam conferet eis qui Misericordiæ operibus institerunt. Nec enim ab eo

Psal. 146.

aliter fieri potest, ipse siquidem *Pater Mi-*

2. Corinth. 1.

sericordiarum est. Ipsa siquidem *Misericor-*

Psal. 88. &

dia edificatur in coelis, siquidem *Domine in*

35.

coelo Misericordia tua. Diuinæ igitur *Mise-*

ricor-

ITIO SACRVM MISERICOR.

ricordix adscribite quod *ultra meritum* remuneret, *quod citra condignum* puniat. Misericorditer punit damnatos *ultra meritum* parcendo, Misericorditer affligit eos, *citra condignum* puniendo. Eius non solum misericordia in terris resplendet, sed & in inferno pradicatur. Quod equidem sciuisse videtur, psalmista cum ait: *Si descendero in infernum ades.* Licet etenim damnati in æternum cruciandi sint, suæ tamen Misericordix atque benignitatis oleo, pœnas minuit damnatorum. *In Misericordia enim disperdes eos.* Si de ea quæ hominibus confers misericordia agendum sit, ecce mihi testimonium prebet, qui Sancto Spiritu edocente cecinit: *Misericordia Domini plena est terra.* Veruntamen ô vates Regie, ne terminos Misericordix diuinæ præfixeris, superat enim ambitum terræ Misericordia Dei. Latior est, Longior est, quam vt terræ limitibus compræhendi queat. Reuertatur peccator in semetipsum, & videat, quia per Misericordiam Dei factum est vt in peccato Originali non mortuus sit. Videat & perpendat quia post mortalem culpam *Misericordia Domini quia consumptus non fuit.* Etenim Angeli vnū ob peccatum æternis fuerunt adiudicati tormentis. Per eam fit, vt anima ad

Psal. 138.

Psal. 142.

Psal. 32.

Thren. 3.

ad errores proclivis, in eos non labatur, sed
 & ab eis cohibeatur. Ideoque canebat Da-
 vid: *Nisi misericordia Dei adiuisset me, pau-
 lō minus habitasset in inferno anima mea.* Mi-
 sericordia Dei est, cū peccatorē varijs vitio-
 rum generibus intricatum ad veram Pœni-
 tentiā expectat. Misericordię Dei opus sin-
 gulare est, cū peccatori cōverso, gratiarum
 munera confert, meritorumq; præmia cu-
 mulat, noua nouis adiungendo laborum
 solatia. Misericordia Dei est cum peccato-
 ri in vitiorum stetquilinium lapsō auxilia-
 tricem præbet manū atq; erectricem por-
 rigit dexteram. Denique Misericordia Do-
 mini est, cum hominē virtutibus exornatū
 ex hoc lachrymarū valle eripit in æterna
 requie coronaturus, *Hic enim coronat te (ō
 homo) in Misericordia & Miserationibus,*
 iuxta quē sensum iterū alio in loco scriptū
 est: *Domine ut scuto bonæ voluntatis tuæ coro-
 nasti nos.* Et ideò in huius rei testimonium
 Sanctorū occipitiū diademate quodā ope-
 ritur q̄ & sinciput & verticē circumtegit,
 vt ostendantur Misericordiæ Dei virtute,
 in hac vita mortali fuisse circumtecti, &
 gloria in cœlesti patria fuisse, induti. Ope-
 ram vt reor ludo dum Misericordias Do-
 mini enarrare gestio, Facilius enim stellas
 cœli

Psal. 93.

Psal. 102.

Psal. 8.

quid ergò erit nobis? quibus sic Dominus respondit: Qui hæc supradicta fecerit. *Centuplum accipiet & vitam aeternam possidebit.* Quæ verba nè friuola vel fictitia quis arbitretur, excellentissimo confirmabo exemplo.

Synesius Episcopus Cyprus vicinum paganum nomine Euagrium ad fidem conuertit. Qui mori proximus cum de bonis fortunæ disponere vellet, Episcopo sexaginta auri pondera pauperibus distribuenda tradidit, ea tamen conditione, vt in futuro sæculo ea centupla reciperet. Quod ita futurum cum Episcopus promisisset, domum rediens filijs iniunxit vt scedulam obligationis sepulchro imponerent. Et vita functus est. Tertio post obitū die Episcopo apparens eum sic allocutus est: vade prope ad sepulchrum, & testimoniales litteras, solutionis acceptæ, recipe. Expergefactus, territusque Episcopus, illucescente die conuocato clero atque Euagrij filio, ad sepulchrum perrexerunt. Vbi Philosophum erectum scedulamq; Episcopo huiusmodi porrigentem repererunt. *Euagrijus Philosophus Episcopo salutem in Domino precatur. Commonefacere te volui Sancte Pater, debitum centuplum iuxta promissiones tu-*

H as mihi

as mihi restitutum, ideoque his litteris testificor mihi plenè satisfactum.

Nunquid promissio Domini verificata est? Centuplum accipiet & vitam eternam possidebit.

Genes. 26.

Quod quidem olim in terræ Patriarchæ Isaac fertilitate optimè figuratum fuit de qua sic, scriptura loquitur: *Seminavit autem Isaac in terra illa, & inuenit in anno ipso centuplum.* Hoc ipsum per pauperum manus emolumentum, hominibus inferendum insinuabat Dominus dicens: *mensuram bonam & cōfertam, & coagitatam, & supereffluentem dabunt in sinum vestrum.* Mensura bona (vt censet Stapleton) sunt bona fortunæ, quæ Dominus Misericordibus largitur in hac vita. Mensura conferta, sunt bona naturæ, qualia sunt, Sanitas, pulchritudo, prosperitas, nobilitas, atque vitæ diuturnitas. Mensura coagitata, sunt dona spiritualia, remissio peccatorum, & his similia. Mensura supereffluēs est multiplicatio bonorum, cum vitæ æternæ retributione. O admirabile cētuplum, quod diuinitate plenū est! mirabile centuplum quod & Mathematici sumopere admirantur.

Quis igitur in hoc opere negligentem se præbebit? Quis non omni seposita mora
thefau-

thesaurum perquirat infinitum? Quis non centuplatum exoptat possidere præmiū, siquidem diuina voce dictū est: *centuplum accipiet*? Equidē non centuplum in terrenis & momentaneis, sed pro datis momentaneis, bonorū spiritualium recipiet thesaurū. Solent gazæ regū prætiosis includi cistulis; quis pauperū æraria despiciat in quibus æs in aurū, aqua in vinū, vestimentū in gloriam conuertitur? Alchimistas eos iure dixerim qui ex rebus tam modicis atq; caducis, incōparabilem sibi comparant thesaurum. Manus, etenim pauperū assimilare possum petitioni quam mydas Rex à dijs ex postulabat. Qui enim pauperi tradit meritò dicere potest.

Corpore contigero, fuluum effice quicquid, vertatur in aurum. Dicit enim Propheta in loco pauperis: *Pro are afferā aurū, & pro ferro afferam argentum.* Quæ quidē promissio replet claustra monachorum, Diuites incitat ad largitionē bonorū, largitores autem & c. inuitat ad hilaritatē mentiū *Iucundus n. homo qui miseretur.* Progrediatur nunc auar⁹, currat modo mercium studiosus procurator, nec in tanto lucro se præbeat desidiosū. Auarū inuito, sed nūquid lucri, scænorisq; retriguit cupiditas: En ecce centuplū repro-

H 2 mittit

Hom. 33. ad
pop. Antioch.

tibi Christus. An fortè mundano quæ st
deditus, mercaturæ huius, emolumenta
tura dubitas? An de fructu hæsitas? Chry
sostomum loquentem de Misericordia au
dias. *Ars, artium Misericordia questuosiss
ma.* & subiungit: *Non alterius indigens
tis, domos edificat, texit vestes, in assumptis
parat thesauros, facit ut mors superetur, diabolum
cohibet, Deo reddit similes, quid dignius
hac arte fuerit utilius?* Quæ cum ita se ha
beant, quid obstat quominus ad eam pro
peres? Ni celeri pede procliuis omnino in
Misericordiæ amplexum iruperis, amoris
anchora, libidinisque atque terrenarum
diuitiarum vinculo teneri te voce altissima
propalabo. Nunquid Auarum verè te de
monstrabis? Dabit Misericordia pro pane
modico, Angelorum viaticum, pro cypho
aquæ frigidæ, gratiæ diuinæ abundantiam,
pro modica terræ hæreditate, cælorum lar
gietur imperium. Si bonorum omnium,
hæreditatisq; sumptibus computatis, cen
tuplata tibi quis bona largiri vellet, nun
quid animo lubenti eam conditionem ac
ceptares? Promittit Deus; an verbis eius fi
dem non adhibes? promissionis verba ex
cipe. *Centuplum accipies &c.* Si fortè insana
mentis, atque à ratione alienus incertitu
dinem

dinem opponis euentus, ne quete tua in incertum largiri velle respondes, quia non est qui de receptione in altera vira testimonium ferat; Sapientis testimonium audias inquentis: *Alij diuidunt propria, & ditiores sunt.* An fortè ignoras benedictionem viduæ Sarepthanæ, quæ quia subcineritium Eliæ panem tribuerat, omni fuit gratiarum munere cumulata? Quia Misericordiam fecerat; audire meruit: *Hydria farina non deficiet, nec lechythus olei imminuetur usque ad diem qua daturus est Dominus pluuiam super faciem terra.* Illa attamen nondum Christum sciebat, nondum præcepta eius audierat. Nondū prætiosi Sanguinis Christi prætium expenderat, nihilominus pro modica panis largitione, duplicatum recipit præmium. Hoc in quinq; panum multiplicatione luculētissime claruit, de quam Prudentius sic canit.

Prouer. 2.

3. R. 8. 17.

Ioan. 6.

Quinque Deus panes fregit, piscesque gemellos.

His hominum largè satiauit millia quinq;

Implentur nimio micarum fragmine corbes.

Bissen. aeterna tanta est opulentia mensæ.

Marcellus Abbas tempore quodam Episcopis tribus inopibus recenterq; à captiuitate liberatis subuenire volens Occo-

Surius tom. 6.

H 3 nomo

homo p̄cepit vt vniuersam eis distribu-
 ret peccuniã. Is verò plus equò auaritię stu-
 dens, maioremq; quam conueniebat rei
 temporaliũ gerens sollicitudinẽ vnum au-
 reum referuauit, nouemq; alios quos habe-
 bat episcopis indigẽtibus distribuit. Mira-
 bile dictu! Vix peccuniam erogarat, cũ ec-
 ce opulẽtissimus quidã vir, nouem auri ta-
 lenta tradit, decimumq; proculdubio da-
 turus erat, si decimum aureum non refer-
 uasset. Qua re cognita, Abbas oeconomũ
 indiscretã sollicitudinem redarguens, dam-
 num q̄ ex auaritia euenerat demonstrauit.
Date igitur & dabitur vobis. Hoc etenim a-
 pertissimẽ his verbis Sapiens declarauit: *De*
primitijs frugũ tuarum da pauperibus, & im-
plebuntur horrea tua facietate. & hæc quidem
 præmia Misericordium quę in hac vita tri-
 buuntur, Patet hoc in historia S. Germani
 Episcopi qui pro largitione trium aureorũ,
 meruit trecẽtos aureos recipere. Nec absi-
 mile est q̄ de S. Ioanne Eleemosynario fer-
 tur, qui quia pauperibus quinq; aureos di-
 stribuerat, quingentos recipere meruit. Idẽ
 etiam luce clarius patet in Iudæo quodam,
 qui cũ bona sua ex vxoris persuasione pau-
 peribus distribuisset, sc̄noris loco aureum
 reportauit. Ex quò cũ pisciculum emisset,

Luc. 6.

Proverb. 3.

Prat. spirit.
cap. 185.

ad

ad maximas diuitias subito peruenit. Nam exenterato pisce lapidem Præciosum quē ibidem repererat aurifabro obtulit vendendum. Is magnitudine lapidis simul & pulchritudine stupefactus aureos quinque obtulit pro valore. Illud sibi arbitratur Iudæus, admiransque ait: tantumne dabis? Aurifaber irrideri se ob exiguam oblatam quantitatem arbitrans inquit: Viginti tibi aureos tradam. Illud sibi denuo arbitratur miser, qui lapidis ignorabat dignitatem, donec ex prætio valorem considerans (gradatim enim semper plures aureos offerebat aurifaber) trecetos pro lapide reportauit aureos, vt qui quinquaginta pauperibus tribuerat, Duplicatum cum scœnore reciperet numerum. Quod quidem admirans factum, ex Iudæo Christianus factus est. Historiæ sufficiunt vt arbitror. Ratione quoque necnon similitudine, atque Patrum autoritate confirmare possum. Similitudinem præclaram affert D. Basilius inquit: *Quemadmodum frumentum in terrâ cadens lucrū proyicienti parit: sic panis in esu- rientē proyectus, multam in posterū tibi reddet utilitatē. Quæ quidē sententia, mihi quoq; aliud inserēdi ansam præbet. Quemadmodum enim qui sæminat granum in terram*

H 4

iaciens

iaciens centuplatum sperat fructum recipere; ita qui modicam in pauperes effundit Eleemosynam cœlestis vitæ præmia iure poterit expectare. Nec est quod aliquis obijciat, vereor ne ludam operam, bona mea distribuēdo, nam incertus sum an fortè in peccato mortali sim moriturus; ad hoc enim paucis respondeo. Nunquid lucrum fructusque cupidus arator se proprijs spoliat alimentis, seque quotidiana priuat annona, vt mittat in terram, licet temporis atque fortunæ ignoret euentum? Sic pariter agas, & vt Deus te à peccati labe immunem conseruet, Eleemosynas largire pauperibus, granum modicum diuitiarum tuarum in sinum pauperis mitte, nec huius seminis tenacem te præbeas, siquidem fructus huius seminis crescit in vitam

æternam *Centuplum enim accipies.*



VT BEATIS ASSOCIE-
MVR, EXPEDIT VT SEPTEM
CONDITIONES HABEAT E-
leemosynæ largitor, quæ continentur his
verbis: Ecce dimidium bonorum
meorum Domine do paupe-
ribus.

CAPVT XXVI.

QVoniam difficile est hominem quem-
cumque quantumuisq; iustum à pec-
cato excusare, id ò nec securitatem omni-
modam Misericordi volumus adferre. Fit
enim plerumque vt qui sua pauperibus a-
bundè largitur, in complacentiam sui ope-
ris incidat, in superbiam feratur, vel vt feri-
us sua tribuat, vel vt nò cum ea charite quæ
debet, vel vt si desint media quæ distribuât,
in tristitiam atque melancoliam dilabatur.
Quibus periculis obuiare volens septem
conditiones has, homini Misericordi ne-
cessarias adferre volui, quas qui seruauerit
verè perfectus erit, vt ex sequentibus cla-
rius demonstrabo.

*Ecce dimidium bonorum meorum Domine Luc. 19.
do pauperibus.*

H 5 QVOD

QVOD ELEEMOSYNA
CVM ALACRITATE FIE-
RI DEBEAT.

CAPVT XXVII.

IN primis verbum hoc *Ecce* alacritatem designat in dante, quam etiam dominus expostulat vt testatur Apostolus in largitore: *Hilarem enim Datorē diligit Deus.* Et Sapiens idem intimare videtur cum ait: *In omni Eleemosyna hilarē semper prabeas vultū.* & infra: *absque tristitia responde pauperi.* Hoc idē aptissimē indicauit Isidorus inquitens: *Non est Eleemosyna cum murmuratione prabenda, ne comitante tristitia merces pereat dispensata. Tunc autē benè tribuitur, quando cū mentis hilaritate prebetur.* Quod quidem non ignorarunt Sancti Patres qui cū summa alacritate, vultuq; summè sereno pauperibus subueniebāt, quemadmodum de Sancto Claudio legitur. Hic enim cū Eleemosynā tribuebat, nō dare sed recipere videbatur; Sicq; adolescentis illius moestitiā reprehendebat q̄ auditis Domini Saluatoris verbis: *Si vis perfectus esse vade, vende omnia que possides & da pauperib⁹,* retrò abiit, nec consilij tenorē secutus est ultra alacritatem quam

Prima Condi-
tio vt Eleemo-
sina sit Deo
accepta.

2. Corinth. 9.

Eccles. 5. 18.
35.

Lib. 3. de sum:
beno c. 64.

q̄ significat verbū *ecce* voluntariam esse de-
 bere Eleemosynā designat. *Ecce* inquit Za-
 cheus voluntariē, nō coactus, non inuitus,
 sine obligatione, sed gratis, liberaliter, &
 prompto animo dimidiū bonorum meorū
 Domine do pauperib. Et re vera nisi volū-
 tariā tribueris Eleemosynā coruis assimi-
 labo te, q̄ ex voluntate Dei, etiam nolentes
 Sanctis Patrib. alimēta subministrabāt. De-
 cet etenim Christianū voluntarie sua largi
 ri. Sed pro dolor! q̄ multi sunt qui hodie po-
 tius pauperib' obolū largiuntur, nō amore
 Dei, sed vt à vexatione liberent. Hos redar-
 guens tenacitatemq; reprehēdens D. Aug.
 inquit: *Perfecta est Misericordia, vt ante oc-* Lib. 50. hora
currat esurienti cib', quā roget mendicus. Nō 39.
enim perfecta est Misericordia q̄ precibus ex-
torquentur & c. Imitare Deū tuū & c. Ecce ti-
bi venit pluuia antequam roges; descendit v-
bertas nocte dum stertis, dum adhuc in lecto
es & c. iactat cælum & parturit terra tot cel-
laria messium dum nescimus, sic accipimus
& tantas opes comedimus antequam roge-
mus. Et tu homo, modicus est iste panis, & pra-
cibus vendis? non rogauerunt quatuor millia
Iesum in deserto septem panes & paucos pisces.
 Nec absimile est q̄ licet paganus præcla-
 ro eloquio seneca protulit, inquit: *Gratus*
est

Lib. de Benef. est donum quod venit ante preces. Insuper verbum *Ecce* celeritatem quandam cum alacritate & voluntate denotat. *Bis enim dicitur qui cito dat.* Vnde bene Aufonius Poëta inquit:


Gratia qua tarda est, ingrata est; gratia namque.

Cum fieri properat, gratia grata magis.
Et alius huic sententiæ suam quoque adiungere videtur cum ait.

Si bene quid facias, facias citò; nam cito factum.

Proverb. 3.

Gratum erit; ingratum, gratia tarda facit.
Ad hoc facit reliquum poëtæ: nocuit differre paratis, nec enim procrastinandum est vt bene docet Sapiens; dum inquit: *nè dicas amico tuo: vade, & reuertere & cras dabo tibi, cum statim possis dare.* Idem insonat Gregorius Nazianzenus: *Ne dixeris, rediens redi & crastino die dabo tibi, nè quid inter propositum & beneficentiam intercedat, vna est enim beneficentia qua moram non patitur.*



¶¶¶¶¶¶¶¶¶¶:¶¶¶¶¶¶¶¶¶¶

VT BEATITVDINEM
ASSEQVATVR MISERICORS,
TOTO VITÆ TEMPORE OPE-
ra hæc exercere debet, vt ex hoc verbu-
lo ecce demonstratur.

CAPVT. XXVIII.

PERspicuum sanè est luceq; clarius post
huius vitæ terminum tempus nullum
donari quo liceat operibus bonis insudare.
Ideoque vas electionis Apostolus, rectè
confulebat, inquiring: *dum tempus habemus
bonum operemur, & hoc, quia veniet nox in Gal. 6.*
qua nemo poterit operari. Nox illa, mors est
quæ cum adnenerit vniuersæ operationis
tempus rescindit, nec in ea cuiquam datur
operari, vt bene notauit August. inquiring:
Dapanera cum potes, quia nemo esurit in in- Lib. 50. hom.
ferno, nec habebis post mortem frumētum, nec 39.
inuenies illic aliquando mendicum quia non
erit tempus miserēdi. Ah! quot hodie mun-
danarum rerum amatores reperiuntur. qui
vana spe lusi, dū bona se largituros paupe-
ribus post mortem arbitrantur, subitò in
cinerem redacti deluduntur. Nunquam er-
gò.

miseri-
cordia
vera

Proverb. 13.

gò bonum quod agere intendis in alterum differas tempus, nam *dilata spes, affligit animam*. Nè longa dilatione animū crucies indigentis, nec incertā prestoleris mortis horam, propior enim instat mors, quā vt crederetur. Si hæredibus, tua distribuenda relinquis, ij parū de salute solliciti plerumq; vique ad exitum vitæ, tuam deducunt voluntatē. Vel si in hora mortis distribuerint suā substantiam reuera id efficiunt vt Catholici videantur, qui plerumq; toto vitę tempore hæreseos labe fuerunt inquinati. O cœcā & inueteratā humanæ mentis maliciā! Dum sic tuā distribuis, non diuitias derelinquis, sed à diuitijs desereris. Sic agere attemptabat Eutichia mulier aliàs Deo deuota mater S. Lucie, quæ petenti filiolæ hæreditariā successione vt pauperibus impenderet, sic respondit: Quæ ex patrimonio tibi eueniunt sed ulò iam à nouē annis asseruauit; quæ autē ex parte mea proueniūt melius me nosti. Hæc ònia post discessum meum, pauperib⁹ si volueris erogabis. Cui prudenter admodū virgo sapiēs respondit: Nō ea accepta Deo sunt, quib⁹ cū frui non liceat, ei tribuim⁹. Da ergò cū viuis q̄ in morte largiri morbi vehemētia obstante, fortè nō valebis. Sicq; filiæ, Virginis prudentissimæ consilio acquiescens omnē substantiā pauperibus

perib⁹ distribuit. Seneca de Auaris loquēs
dicere solebat, nihil eos boni operari præ-
terquā in morte. Nā sicut volucres aflatos
manducamus, vel eorū carnib⁹ decoctis ves-
cimur, sic nō prius diuitū substantia pauper
sustentatur, q̄ mors vitæ resciderit curricu-
lū. Et quis insensatā non iudicet Auarorum
vitā? præcipuē verò cū longo post obitum
tempore, vltimæ voluntatis præceptū exe-
cutioni mādatur. Nunquid enim in vltimo
instanti vitæ, & quamprimum anima corp⁹
derelinquit Deus eam iudicat? Ita sentiunt
omnes Ecclesiæ Catholicæ Doctores. An
igit^r Deus iudiciū fortassis ad tres aut qua-
tuor annos, præstinabit, executionē volū-
tatis expectās? Nequaquā sane; nec. n. muta-
bilis est Deus: q̄ sententiā latam, aureo vel
argēto redimi aliquando permittat. Quid
igit^r post latū iudiciū proderunt Eleemoly-
næ? Nihil profus; Serò sapiūt phryges, serò
diues oculos aperuit, quādo Lazarum pau-
perem requiescentem vidit, quem iacen-
tem ante ianuas videre despexit. Error at-
tamen cōmunis atque inter mundanos fre-
quens est, qui etiā ratione vlla vix tolli po-
test. Sed vnicū rogo: Dum noctu incedere
intendis, nunquid lucernā post te ponis, an
nō magis anteire iubes vt præcipitiū si q̄ oc-
currat euitare possis? Sic reuera in his argē-
dum

Miseri
ordie
vera

dum est. Præmittas ergò opera pietatis quæ ad modum exploratorum viam præcedunt, & regni cœlestis semitam efficiunt curam. Ideò enim Lucernæ rectè accomendantur. Misericordia etenim est quæ præcedit animam irè in tenebras. Opera pietatis sunt, quæ itineris difficultates pandunt quæ peccatorum tenebras pellunt, dum modo ea tempore vitæ exerceamus. Non qui ea post mortem exercere contendunt, reuera periculosè sese exponit am fractibus, & lucernam post se gerit. Ad hæc alludunt verba Isaïæ post Misericordiæ commendationem dicentis: *si hæc feceris, iustitia tua sicut lucerna præcedet se.* Qui enim post mortem Eleemosynam largiri se posse sperat; similis est homini qui fornacem ardentem refrigerij venturi spe delusus ingreditur. Audiatur nunc avarus verba veritatis in Evangelio dicentis: *Cum facis Eleemosynam, noli tuba canere. Cum facis* inquit, non cum alij hæredes faciunt. Cum facis, i. cum proprijs manibus largiris. Sed nec mirum est, si in morte quilibet suà pauperibus erogare vult; tunc enim nihil amplius possidet, qui antea omnium diuitiarum dominium habebat.

Tob. 4.

cap. 58.

Matth. 6.

Datua dum tua sunt; post mortem tunc tua non sunt.

Quod etiam benè indicat psalter Regius dum inquit: *Dormierunt somnum suum: & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus suis.* Da igitur quisquis ad portum *Psal. 75.* aspiras optatum, quisquis ad promissum anhelas proemium, quanto tempore viuis succurre indigenti dum robustus es, dum vires competunt; verendum enim est nè si diutius expectaueris, cum manum naufraganti auxiliatricem præbere volueris, ipse met naufragium patiaris.

Denique vt paucis concludam qui in hac vita pietatis non exercuerit opera frustra ea post mortem exercere tentabit. Separata namque anima à corpore homo extra meritum est, sicque nudus, & charitate vacuus, vereatur oportet nè sibi quod homini non vestito veste nuptiali dictum est etiam intimetur: *Amice quomodo huc intraſti non habens vestem nuptialem? & quæ sequuntur: Ligatis manibus ac pedibus projicite eum in tenebras exteriores, ubi erit fletus & stridor dentium.* Ne igitur ô homo tantum tuæ salutis incurras periculum, fac tibi amicos de mammona iniquitatis, qui te in tempore tribulationis recipiant in æterna tabernacula.

I cula.

ant. Idem author mellito ore, in tenaces in-
uehitur his verbis: *Quod si ad paululum ar-
genti offerendum & frustra panis præbenda,
adeo tenax, auarus, & piger es; quid faceres si
vniuersa essent euacuanda?* Et iterum alibi
duritiam quorundam repræhendens inquit:
*Si quis unum obolū quidem petēs accedat, &
conuicijs ac contumelijs insectamur, eumq; im-
postorem vocamus; non horres homo & erubef-
cis impostorem propter obolum vocans?* Atta-
men sunt pleriq; qui nulla habita ratione,
si panis frustum tenuissimum pauperi lar-
giantur, plurib⁹ dum petent conuicijs, quā
forte frustum panis, constet micis. Si tibi ō
Auare frustulū panis dumtaxat largiretur
Deus pro quotidiana sustētatione obmur-
murares ni fallor, & egestatis impatiēs ple-
rumque in blasphemiam irrumperes. Et
ecce variatis dapum ferculis mensa onera-
tur, nec est volucris quædam, nec piscis
quamuis carus, qui mensæ tuæ in ædulium
non apponatur; hæc q; cum à munifica Dei
manu suscipias nunquid iustum fuit & te
pauperis misereri? Cum Luciano Poëta ex-
clamare possum.

*Luxuries, nunquam paruo O prodigare-
rum contenta paratu:*

Et que sitorum pelago, terreq; ciborum.

I 2 Ambi

Hom. 67. in
Ioannem.

Lib. 4.
Pars 1.

Lib. 4.
Pharjal.

*Ambitiosa fames: & lauta gloria mensa.
Discite quam paruo liceat producere vitam
Et quantum natura petat, &c.*

Thren. 4.

Luc. 16.

1. Reg. 25.

2. 2. q. 32.
4. 10.

Diffimilis planè Zacheo est, quisquam Avaritiæ studens, suam ita parcè pauperibus largitur substantiam. An plura loquuntur sunt & alij quibus ita innatum est Avaritiæ vitium, vt etiam famelicis panem frangere contemnant. Quorum fortunæ compatiens Hieremias Propheta, dolenti voce inquit: *Paruuli petierunt panem & non erat qui frangeret eis.* Micas dumtaxat de mensa cadentes sibi tribui postulabat Lazarus; nec tamen erat qui eius Misertus, traderet. Dauid esuriens sibi panem in deserto rogabat tradi, & Nabal pro pane. conuicijs oneratam postulanti. Ah! ne tale quid vobis vnquam accidat; sed magis exemplo Zachei, date liberaliter, & abundanter si mædia suppent. D. Thomas, sufficientiam, ex Eleemosynæ, conditione, affectu, & mædijs dominantis pensandam esse docet. Rusticus enim quispiam qui in sudore vultus sui victualia sibi comparat, cum modicum quid tradit, sufficienter satisfacit. Mulier similiter quæ labore manuum vitæ statum conseruat, dum pauca tradit, pietati pariter, atque charitatis legibus satisfacit. Ob id enim

nim vidua quæ duo minuta miserat in Gazophilacium à Domino Laudatur; dabat siquidem quod poterat; dabat quantum ipsa valebat. Vnde & in extremo iudicij die, diuitibus auaris dedecus inferet, & eos coram aula cœlesti confundet, quoniam quæ supererant in Eleemosynam non distribuerunt; cum tamen Dominus dicat: *Quod superest date Eleemosynam.* Luc. 2. Date, inquit, non rogans sed imperans. Vnde fit, vt ij à peccato mortali non excusentur, quibus cum diuitiæ affluant, cor adeò languidum, adeò Fraternitatis parua est miseratio, vt etiam exigua dare nõ pudeat. Quod si parua munera dare velint, pluribus tamen charitatis officia impendant vt hoc pacto à peccato excusentur. Nec mirum esse debet si in eos acrius inuehor; nam eo vsque Diuitum malitia excreuit, vt non solum multis multa non tribuant, sed nec perpaucis exigua tribuant indigentia subsidia. In vestitu victu, magnificentia, plus æquo excedunt; at in Misericordia plus etiam debitò deficient. Quod in pauperum sustentatione erogare debuerant, hoc in venaticorum canum enutritione dissipant. Nec omnimodam tribuendam esse substantiam dicere volo, nam neque Martinus integram tradi-

dit clamidem, cuius tamē opus in cœlis fuit
 approbatum sed cum paupere dimidiauit,
 & vt faciamus idem nobis exempla para-
 uit: nec se totum tradere insinuat Zacheus
 sed tantummodo *dimidium*, nam, vir sapi-
 ens bene scit, quid sua burfa gerit. Non et-
 iam æquum foret, vt qui liberos educandos
 habet, bonis ita eos spoliaret, vt eis postea
 per fas & nefas alia acquirere necessarium
 foret; Sed pensandum est Apostoli consili-
 um inquentis: *In presenti tēpore vestra a-*
bundantia illorum inopiam suppleat, & illorū
abundantia vestra inopia sit supplementum vt
fiat equalitas.

2. Corin. 8.

Igitur dum Eleemosynam facis, memē-
 to diuinæ liberalitatis quæ non potest ex-
 cedi ab homine, sicut nec vmbra corpus
 potest antecedere.

9. Condicio.

QVIBVS BONIS ELEE-
 MOSYNA CONSTARE
 DEBEAT.

CAPVT XXX.

Quantum ad bona quæ in Eleemosina
 larguēda sunt, illa patent, si illud, *Bo-*
norū attente consideremus. Non enim bo-
 na sunt, quæ cum ijs vtī nō licet, aut ijs vesci
 non

non valemus, ob corruptionem, putredinem, aut similem quandam alterationem, pauperibus donamus. Quæ omnia in Eleemosynam tribuere nullatenus debemus. Nam sicut iniquum est Domino vouere filium debilem, claudum, gibbosum, mancū, vel languidum; ita pauperibus, corruptos cibos quos reijcit appetit⁹ in escam tradere plane impium est. Nec solū impij sunt qui huiusmodi operantur, sed etiam in eos maledictionē fulminat Malachias, cū inquit: *Si offeratis cœcū ad immolandum non ne malū* Malach. 1. 8. *est? & si offeratis claudū & languidum nonne malum est?* subide concludit. *Maladictus dolosus, qui habet in grege suo masculum, & votum faciens immolat debile Domino.* Equum Ioan. 6. igitur est vt de meliori domus nostræ substantia largiamur, nam Domin⁹ turbam in deserto præstantissimis atq; abundantissimis paut alimentis. Eliam quoq; carnibus delicatissimis ob imbecillitatē sustentauit. 3. Reg. 19.

QVOD ELEMOSYNA ^{4. condicio.}
EX PROPRIIS BONIS LAR-
GIENDA SIT.
CAPVT XXXI.

EAtenus tamē eleemosyna faciēda est vt
I 4 xqui.

æquitas semper atque Iustitia obseruetur. Nam qui aliena, vel furto, vel per Simoniam aut nefas simile, sublata pauperibus tribuit, tantum abest vt ex eo opere mereatur, quin immò maximò ad restitutionem ablati teneatur. Hoc insinuare videtur verba Sapientis dicentis: *Honora dominum de substantia tua.* Ideò etiam Augustinus censet, eam maximè Deo Eleemosynam acceptam gratamque esse, cum ex laborum præmijs emergit. Quid enim virtutis aut efficacix habere potest talis Eleemosyna, quæ ab vno gratanter recipitur, & ab alio summo cū dolore deperditur? Si munera Cain reiecit Deus, quia pessimum quodque in sacrificium tribuebat; quanto magis eas Eleemosynas spernet Deus, quæ alienis fiunt expèdijs? Iniquum planè est, nec enim vt trito sermone dicitur, decet D. Petrum suis expoliare vestimētis, vt indè Pauli nuditas contegatur. Quod quidem phocion Atheniensis, apophtegmate pulcherrimo demonstrauit: Nam rogantibus die quadam peccuniam in sacrificiorum expensas, respondit: Puderet me aurum vobis tradere, nec huic (ostendebat autem creditore) quod suum est restituere. Si verò criminis huius magnitudinem vis cognoscere, quid Sapiens

*Lib. de vita
Christiana.*

Genes. 4.

*Plutarch. rom.
1. opusc.*

Sapiens dicat attende: *Qui offert sacrificium de substantia pauperum, est quasi qui victimat filium in conspectu Patris. & infra subiungit: Immolantis ex iniquo, oblatio est maculata.* Similes etiam Eleemosynas subsannationes vocat, vel quia poti⁹ Deum ad iracundiam prouocant, quam iratum flectant: vel quia eas irridet Deus & flocci pendit. *Da igitur de consilio Sapientis, de primitijs frugum tuarum pauperibus.* Non dicit de bonis alterius, sed de primitijs frugum tuarum. Vectigal etenim diuitiæ sunt propriæ, non verò alienæ. Nam Deo acceptæ neutiquam fuere Zachei Eleemosinæ, donec alienum restituisset, vt ipsius verba testantur. *Si quid aliquem defraudavi reddo quadruplum.* Id ipsum testantur Sancti Patres: Isidorus inquit: *De rapinis alienis Eleemosynam facere non est officium Miserationis, sed emolumentum magni sceleris.* Chrysostomus respondens ijs, qui aliena se in Eleemosynam dedisse dicunt, subiungit: *Displicet Deo talis Eleemosyna, nam vt inquit Propheta: Odio habet Deus rapinam in holocaustum.* Diffusius multò Augustinus, his verbis: *De iustis laboribus iussit dari, de iniustis verò rapinis prohibuit dari; sed cum iudicare cœperit Deus, dicturi sunt hi qui de fraudibus viuunt.*

Eccles. 34.

Proverb. 3.

Luc. 19.

Lib. 3. de sumis
bon. c. 64.Hom. 57. in
Matth.

Isaie. 61.

Lib. hom. 47.

I s & de

Miseri-
cordia
vera


Et de spolijs miserorum Eleemosynam faciunt
 Domine precepta tua seruauimus, & in nom-
 ne tuo Misericordias ferimus, pauperes pau-
 mus, nudos operuimus, & peregrinos hospiti-
 suscipimus. Quibus dicturus est Deus: Quo-
 dedistis, dicitis; quod rapuistis, non dicitis. Quo-
 pauistis memoramini; quare non recordamini
 quos necastis? quos operuistis, gaudet; quos ex-
 spoliastis plangunt: quos hospitio excepistis re-
 tinetis, & obliti estis quantos de habitaculis
 expulistis. Ego Misericordiam fieri iussi, frau-
 des & rapinas exerceri non mandauit. Et alibi
 ad euitationem tanti sceleris fideles exhor-
 tans iterum ait: Nolite uelle Eleemosynas fa-
 cere de faenore & usuris. fidelibus dico, quibus
 corpus Christi erogamus. Attamen quot ho-
 die quantique sunt in saeculo qui postquam
 tota uita sanguinem uiduarum, earumque
 labores & laborum praemia sustulerunt, in
 mortis hora furtorum partem quandam
 pauperibus distribuunt, At uero nequaquam
 Deo acceptum est opus tale, ut bene in se-
 quenti clarebit exemplo.

De verb. Dom.
 ser. 35. c. 10.

Ermoaldus uir quidam opulentus, qui
 toto uita tempore rapinis atque usuris ope-
 ram dederat, cum de uita periclitaretur, iam-
 que poene animam ageret, ad Sanctum Laut-
 marum, argenti summam misit, rogans ut
 pro

pro animæ suæ salute Deum præcicaretur. Quam cum hic diutius renuens, importunitate tamen & præcibus adferentis victus accepisset, altari imposuit; oransq; Dominum cum peccuniæ summam subleuaslet, vnicam licite acquisitam peccuniarum partem retinuit, reliquum autem ad Ermoaldum remisit inquires, Inuisam esse Deo Eleemosynam quæ alienis fieret expendijs. Adiungebatque scripturarum testimonia quæ inquirunt: *Victime impiorum abominabiles Domino: & iterum: Holocaustumata vestra non sunt accepta, & victima vestra non placuerunt.* Illudque sane verum esse sequens probavit euentus. Seruus namque Domum reuersus, miserrima morte Dominum perire vidit. Sit vobis in exemplum diuitis huius miseria, sit in exemplum Booz etiam admirabilis Misericordia, qui seruis suis egestatem Ruth commendans, aiebat: *De vestris manipulis projcete de industria. De vestris date vt cum Zachæo dicere possitis; Ecce dimidium bonorum meorum Domine de pauperibus &c.*

QVOD



QVOD ELEEMOSY
NA PROPTER DEI AMOREM
FIERI DEBEAT, ET NON PER
iactantiam.

CAPVT XXXII.

*Quinta condi-
tio.*

*Metaph. Sur-
ius. Petr. de
natalib.*

Licet supra positæ conditiones decori
Eleemosynæ conferant, eius tamen in-
tegritatem non perficiunt, nisi eius prima-
rius finis honor Dei constituatur. Exem-
plum huiusce rei nobis constituit D. Nico-
laus qui paternam hæreditatē maxima ex-
parte pauperibus erogauit, vt bene in se-
quenti claruit exemplo. Nam cum virum
quempiam tenuis fortunæ, ob indigentiam
filias nobiles prostituere velle intellexisset,
subitò alieno casu quasi proprio motu,
auxilium præbere non distulit. Noctis igitur
tempore domū indigentis petens, bur-
sam nummis doteque affluenti repletam
iniecit in ædes, hanc cum mane factò, vir
lætus excepisset, filiam primam tradidit cō-
iugio. Quod opus cum viro Dei placuisset,
secundam intulit, qua & secunda fuit viro
sociata, denique & tertiam qua & tertia sce-
lici-

liciter per viri sancti auxilium fuit coniugata. Fugiebat autem ita sedulo mundani honoris auram, vt in operib⁹ pietatis videri nollet, visus autem etiam silentium imperaret. Non absimile est quod Archefilaum fecisse refert Seneca. Qui cum ægrotum ex Lib. 2. benef. amicitia familiarem sibi (pauperem verò) inuisisset, sub eius puluinari maximam posuit peccuniæ quantitatem, vt experget factus inueniret, vnde reliquum vitæ posset sustentare. Pudeat reuera Christianos illos, qui vanitatis auram captantes, videri ab hominibus volunt, laudari ab eis student, non verò magis à Deo à quo, cum Iudex sit æquitatis, in fine debent coronari. Illud Gregorij aduertite : *Per hoc quod agimus, laudes exterius nō queramus, si autem sit opus in publico, intentio tamen maneat in occulto.*

Cibus Deo arridens Eleemosyna est, dummodo recte intentionis fuerit sale cōdita. Cum largiris Eleemosynam indigenti, cum viduam subleuas tuis diuitijs, cum orphano tuam diuidis substantiam, cum virginem adultam matrimonio iungis, acceptissimum Deo cibum offers, verum, si fumo vanitatis atq; iactantiæ percussa fuerit, esca; iam non appetitum, sed potius vomitum prouocabit assumenti, Hanc iactanti-
tiam

tiam condemnat Inchino excellenti similitudine ait enim. Quemadmodū poma, ex arbore decepta sunt, in loco humido posita corrumpuntur, in sublimi vero maximo tempore cōseruantur: Ita opera Misericordiæ, si terrænæ vanitatis vel minimū quā respirent, corrumpuntur, si verò ad honorem Dei facta fuerint, in cœlis cōseruantur. Nam quia Cornelij opera & Eleemosynæ Dei honorē exquirebant, ideo audire meruit: *Eleemosynæ tuæ cōmemorate sunt in conspectu Dei.* Quis maiorē sibi fingere potest insaniam, quā eorum qui Eleemosynas faciunt vt contemplantur ab hominibus? Istrionib⁹ iure eos assimilare possum. Nam sicut ad spectantiū recreationem, Istriones tripudiant & nugantur, vesperi autē fatigatos se sine fructu sentiūt: ita Hypocritæ toto tempore vitæ opera Misericordiæ exercent vt videantur, non vero vt fructum recipiant. *Reciperunt enim mercedē suam.* Cum mercenarius pro Domino laborat, artem omnē, omnē ingenium applicat vt opus quod à magistro sibi traditum est recte perficiat; dubitat enim ne opus imperfectū, atque ab intentione magistri alienū contemnatur; atque sic mercede priuetur. Sic Christiano agendum est. Præcipit Deus vt Misericordiā operaremur, at vero in opere charitatis iactan-

Act. 10.


Matth. 6.

Stantiam inhiuit, ne infalemur. Nec om- Luc. 6.
 nino opera charitatis in publico exercita
 damnare intendo; fieri enim quandoque
 potest ut is qui in publico opus tale facit,
 proximū ad idem operandū inuitet; sicque
 opus eius meritoriū & fructuosum euadat.
 Verū, hoc maxime prælatis atque Ecclesiæ
 pastoribus conuenit quibus dictū est, *Lu-*
ceat lux vestra corā hominibus, ut videant o-
pera vestra bona, ut etiā scandalum euitetur.
 Dum enim publicè Eleemosynam largiun-
 tur, Auaritię notā, diuitibus maxime com-
 munē, à se repellunt. Veruntamē, ita rectæ
 intentioni prouidere debēt, ut ne vel mo-
 dicum quidē in vanitatē declinent; ne in-
 quā sciat sinistra quid dextra operetur. Hoc
 Dominus indicauit cū dixit: *Cū facis Elee-* Matth. 6.
mosynam noli tuba canere ante te. Sed arbi-
 trabitur fortassis quispiā obid Eleemosy-
 nam esse infructuosam; verum dubitatio-
 nem omnem remouet sapiens cum inquit:
 Licet mendici charitatis magnitudinē file-
 ant, licet homines opera pietatis nō extol-
 lant, *hæc tamē pro te exorabit ab omni malo. Cu-* Eccl. 29.
ius senrētię veritatē non ignorabat Seneca,
q̄ beneficia in occulto cōferenda esse cēse- Lib. 2. benef. c. 10.
bat, ut etiā is q̄ conferret ignoraretur. Dicat
igit̄ Christian⁹ cū Metello, qui interrogat⁹
de re quapiā respōdit: tunicā meā si id eloquū
posseā

Plur. tract. de garrul. Front. Lib. 1. stratag. *posset comburerem* : Dicat inquam silenti-
 ficena sibi imponens: dexteram combure-
 rem, si propter opus exhibitum, in iactan-
 tiam eleuaret. Nam qui vanam captare ge-
 stit auram opus bonum exercendo, simili-
 est homini thesaurum in manibus portan-
 ti, quod prædonum periculis expositum
 est. Securius autem tutiusque est abscondi-
 ti operis fructū reportare, quam per osten-
 tationem, omnimodam eius iacturam to-
 lerare. Sicut enim is qui candelę lumen cō-
 seruare vult, illud ventis & aurę non expo-
 nit, sed in lampade seruat & tegit; sic pari-
 ter qui charitatis ignem fouere desiderat,
 vt illud vanitatis ventis non exponat ne-
 cessarium est.

Licet verò habita solummodo ratione
 paupertatis, naturali quodam instinctu in
 opus bonum exercendum ferri possimus,
 ita tamen hoc faciendum est, vt à fine pri-
 mario, qui Dei honor & amor, est, nullatenus
 declinetur. Sunt enim pleriq; qui ma-
 lo fine Eleemosynam faciunt, filiam pau-
 perem vestiunt, vt honori dedecus maius
 inferant, vt eorū concubitu fruantur. Bo-
 na quidem Eleemosyna per se est, sed malo
 fine plerumque corrumpitur. *Omnis enim
 actus est malus, cuius finis est malus.* Ideò trito
 dici-

dicitur elogio. *Quicquid agas prudenter agas & respice finē*, nam vt infra dicitur, *quicquid agant homines intentio iudicat omnes*. Et vt inquit Theologi: *omnes specificantur à fine*. Cū ergo intentio fuerit recta, omne op^o lucidum erit, si autem vel in vanitatem, vel in lucrum temporale, vel in inhonestam rem deflexerit, sanè iam non fructuosum est, verum etiam peccatum parit. Vt autem recta sit intentio, vt ex opere mercedem salutis recipias, ob amorem Dei eiusque honorem totum opus exercendum est. Hic terminus sit, hic sit Eleemosynæ scopus & finis.



QVOMODO AVTHORITAS REQVIRATVR
IN DANTE. *Sexta conditio.*

CAPVT. XXXIII.

QVoniā plerumque fit, vt filij adhuc parentibus subditi, Eleemosynas largiri velint, operæ pretium facturū me credidi si eam, quæ requiritur in dante, auctoritatem explanarem. Necessarium est igitur vt is, qui Eleemosynam præstare vult

K sui

fui iuris sit, emancipatus, & sub cura actorum, & parentum tutela nō agat. Religiosus enim sicut & puer, & hæres, qui sub aliena ferula est, alienoque subditur imperio sine superiorum licentia (saltem præsumpta) cum suorum bonorum dispensationem non habeat, quicquam largiri non potest. Vnde interrogare quis posset. An mulieri liceat sine mariti licentia Eleemosynam præstare? Ad quod notandum est diuum Augustinum quasi contra sentire, sicut & Frater Ioannes Benedicti, cum inquit: *Mulieri coniugata non licet dicere facio de meo quod volo, nam & ipsa non est sui, sed capitis sui, id est viri sui.* Veruntamen idem summista octo excipit casus, quos hic recensere volo ad clariorem huiusce dubij explanationem.

*In summi.
Aug. ex. 199.
ad Edibiam.*

Primo. Si consueuerint illius patriæ mulieres Eleemosynam elargiri illam, maritis ignorantibus (dummodo inhibitio mariti non adfuerit) exercere possunt.

Secundo. si extrema necessitas adfuerit, potest marito nescio immo & inuito pauperis indigentiam subleuare, nam necessitas non habet legem, præualetque ius naturale, iuri ciuili.

Tertio. vt ab imminente periculo, vel calamitate

lamitate præseruetur, familia, vt in Abigail factum fuisse demonstrat scriptura. Verum si ob temporale vitandum incommodum dari permittitur Eleemosyna; nunquid ob spirituale bonum multo magis dandum esse quis iudicabit? 2. Reg. 25.

Quarto. si maritus abfuerit dare poterit, ita tamen vt mariti voluntatem non excedat, neque Eleemosynæ mensuram.

Quinto. Si maritus à sensu alienus insanam vitam ageret, tunc enim mulieri omnimoda familiæ administratio cõmissa est.

Sexto: si à marito sibi certa substantiæ quantitas in victum fuerit assignata, illa parcens sibi, residuum quod super est pauperibus potest dare.

Septimo. Potest mulier ea pauperibus diuidere, quæ ultra dotem, voluntarie familiari adiunxit substantiæ, vel quæ particulari manuum & industriæ labore sibi comparauit.

Octavo. si panem, vel modicum vini indigenti largita fuerit, exiguitas enim materiæ excusat à peccato. Id ipsum enim præsupponitur maritus velle. Hæc refert Ioannes Benedicti in summa. Sed quare ad tam liberalem bonorum suorum distributio-

tionem prouocatur Zacheus? arbitror ego
quia auream Philosophi nouerat sententi-
am: *Beatius est magis dare, quam accipere,*
quam etiam docent, tum Saluator noster,
tum doctor gentium Paulus Act. 20. Sed
quibus pauperib⁹ dandum sit inquiramus.
multiplicia enim pauperum genera sugge-
gerit hoc verbum (*Pauperibus.*)

7. *Conditio.*

ELEEMOSYNAM RATIONE
VTENTIBVS, ET NON
BRVTIS ANIMALIBVS FA-
ciendam esse.

CAPVT XXXIV.

RECTÈ admodum reuera in Eleemosy-
næ conditionibus numeratur, quod
Zacheus animaduertit, genus nempe Pau-
perum cui Eleemosyna sit impendenda.
Quæ enim à rationis vsu alienis, animalibus
que brutis tribuuntur, non Eleemosy-
næ sed prodigalitatæ nomen sibi vendicât.
Quod tamen in hac ætate dolendum est.
Sunt enim pleriq; qui pluris canes, boues,
oues & huiusmodi animalia faciunt, quam
indigentia Christi membra, nunquid hoc
opus


opus abominationem iure dixerim? Hanc miseriam plangit Dominus cum inquit: *Cadit asinus & est qui subleuet, perit anima, & non est qui recogitet.* Similes sunt impiissimo Regi Achab, qui post longam incediam atque sterilitatem seruo suo ait: *Vade in terram ad vniuersos fontes aquarum, & in cunctas valles, si forte possimus inuenire herbam, & saluare equos & mulos, & non penitus iumenta intereant.* Iumentorum suorum curam habet, & famelicorum hominum indigentiam non curat. Aliter sanè Sabaudia dux pijssimus Amedeus fecit, qui rogatus à nonnullis nobilibus vt venatione ceruum aliquem aut feram infectaretur, vtque venaticos canes ostenderet, respondit: *Craftina die venationem meam vobis demonstrabo.* Altero igitur die facto, cum nobiles conuenissent, eis in aula quadam, summam pauperum multitudinem quos per dies singulos alebat demonstrauit, inquit: *hi canes venatici sunt quos alo, qui Paradisi gloriam infectantur, in hos substantiam & redditus annuos expendo, plus enim emolumentum mihi pariunt canes hi in vna die, quam venatici in decem annis compararent.* Dignam reuera tanto duce sententiam, quæ etiã aureis insculpi debeat lit-

K 3 teris

Munster. l. 2.
cosmog.
Raphael. vo.
later. lib. 3.
Georg.

teris in in cordibus aulicorum, ita vanitati deditorum. Non patiuntur demesticos canes fame præmi, attamen Christi membra ostiatim victum inquirere tolerant. *ô morales! ô tempora dura!* diues epulo canibus suis sufficientia præbebat alimenta, at verò famelicum Lazarum in ianuis suis mori sinebat media.

Luc. 16.



QVOD ANIMÆ NOSTRÆ VIRTVTVM INDIGENTI, VIRTVTIS SUBSTANTIA SIT PRIMO SUBUENIENDUM.

CAPVT XXXV.

Primo sibi subueniendum est.

QVamuis pauperibus subuenire, charitatis sit opus maxime perfectum, videndum tamen est vt sibi proprieque saluti provideat, qui alienæ indigentia subuenire desiderat. Hoc sane summi consilij est, hoc etiam Sapiens consultum esse demonstravit, cum inquit: *Miserere anima tua*


plâ.

placens Deo & contine, quasi dicat. Tum *Eccles. 30.*
 qui in peccatorum sordibus delitescis,
 qui peccati lepra percussus es, qui virtutum
 indigens es, tui ipsius miserere, antequam
 alienæ compatiaris miseræ. Contritionis
 ei largire substantiam, Confessionis tribue
 pharmacum, Satisfactionis concede reme-
 dium. Licit enim omnem substantiam, v-
 niuersasque opes in pauperum subleuatio-
 ne dissipaueris, nisi animæ tuæ primo sub-
 ueneris, nihil facis. Operam perdis, si sub-
 stantiam tuam minus indigenti largiaris.
 Exigit etenim lex charitatis, vt proprij
 corporis subleues inopiam, quam vt alie-
 ni hominis sustentes penuriam. Quod si
 ita in corpore faciendum sit; tanto magis
 animæ præstandum est, quanto, magis sua
 præstantia, anima, corpus superat & ex-
 cellit.

Si matris in angustijs constitutæ non
 misereris, nunquid tygride crudelior iure
 æstimareris? Veruntamen animæ tuæ ma-
 ior cura est, quam matris. Si in animam
 propriam crudelis es, quomodo in aliena
 persona Misericordiam exercebis? Cha-
 ritas igitur cum à seipso incipiat, vide ne
 animæ oblitus penuriam, alienam suble-
 ues indigentiam.

K 4

QVOD



QVOD ELEEMOSY-
NA RELIGIOSIS ET DEI MI-
NISTRIS SECVNDARIO
tribuenda fit.

CAPVT XXXVI.


Postquam anime nostræ prouiderimus,
quibus pauperib⁹ tribuendū sit videa-
mus. Religiosis igitur pauperib. deiq; mini-
stris maximè tribuendū est quamuis Wi-
clefius Hæresiarcha impuro ore negauerit.
Æquum enim vt qui spiritualia serunt, fru-
ctus quandoque temporales colligant. O-
rant pro diuitibus, ieiunant pro epulanti-
bus, vigilant pro dormientibus, & nunquid
iustum est vt qui spiritualibus famelicos ci-
bant epulis, temporalibus sustententur a-
limentis? Hoc Paulus Macedonijs & Acha-
ijs insinuasle videtur, cum imperaret, vt su-
is diuitijs eos qui in Ierusalem erant susten-
tarent, inquires: *Nam debitores illorum estis,*
& rationem subiungens ait: *Si nos vobis spi-
ritualia seminauimus, magnum est si carnalia
vestra metamus?* quasi dicat, *non.* Nec solum
hoc de Prædicatoribus, aut Pastoribus in-
telli-

1. Corinth. 9.

telligendum censeo, sed de quouis religio-
 so sanctæ meditationi, aut contemplationi
 operam dante. Insuper cum Religiosi om-
 nia simul semelq; propter Deum relinque-
 rint, nunquid æquum est vt etiam eorum
 succuramus necessitati? Et hæc equidem
 scholasticorum sententia est, vt digniori
 semper conferatur Eleemosyna. Cum igitur
 tantò Religiosus pauper, pauperem sæ-
 cularem superet, quantò sanctitatis præ-
 rogatiua excellit, iustum sanè est vt ei prius
 tribuatur, quàm alteri. Religiosis namque
 vt inquit D. Hieronymus maximè conue-
 nit illud saluatoris Lucæ 16. *Facite vobis a-*
micos de mammona iniquitatis vt cum dese-
ceritis, recipiant vos in aterna tabernacula,
 nam pauperibus quibuscumque non adap-
 tari potest, cum plerique eorum à via salu-
 tis alieni sint; h; enim quod non habent,
 quomodo alijs comparabunt? De Religio-
 sis Dei ministris intelligendum est,
 quorum sanctitas nobis vitam
 aperit sempiternam.

K 5

QVOD



QVOD PAUPERIBVS
AMICIS, ET PARENTIBVS
ANTE ALIOS SVBVENI-
endum fit.

CAPVT. XXXVII.

ATtamen cum iure Naturæ in proximo-
rum amorē maxime feramur vi-
dendum est, vt postquā Dei ministris sub-
uenimus, pauperibus amicis, parentibusq;
proximis succurramus. Nam (vt inquit A-
postolus) qui suorum & maxime domesticorum
curam non habet, fidē negauit & est infide-
li deterior. Hoc ipsum Gregorius Nazian-
zenus verbis satis claris indicat: *Cur in fra-
trū (inquiens) calamitatibus, delicijs circum-
fluimus? absit hoc à me vt opibus abundem, his
inopia rerū laborantibus.* Preclarissimum ite-
dem est quod docet D. Ambrosius medio-
lanensis. Episcopus, dum inquit: *Est illa pro-
banda liberalitas, vt proximos sanguinis tui
non despicias, si egere cognoscas; melius est enim
vt ipse subuenias tuis.*

1. Tim. 5.

*Orat. de paup.
mave.*

*Lib. offic.
cap. 30.*

Quæ quidem verba de Patre & Matre intel-

intelligenda sunt, quamuis etiam ad proximos parentes bene referantur. Nam ad Patris subleuandam indigentiam, potest filius Religionē egredi, & piē parenti subuenire. Veruntamen piū admodum esse alijis proximis etiam succurrere, aperte demonstrat scriptura in Ioseph, qui famis tē- *Genes. 41.*
 pore non solum Patrem, sed & Fratres & vniuersam cognationem sustētauit. In *Cap. 6. & seq.*
 Tobia iuniore similiter perspicuū est qui pro- *quentib.*
 fectus est in terram longinquam, vt pecuniam creditā qua pater in senectute sustentaretur, requireret. Sed & hoc in naturalib⁹ luce clari⁹ emicat. Nam arborū rami qui à radice vigore omnem sibi assumunt, hyemis tempore folijs sese quibus in estate floruerunt, exuunt, vt radicem ab aëris intemperie conferuent. Tu verò mortalis homo, humanitate destitutus patrem vides senio confectum in putredine delitescentem, matrem vides captam oculis, quò se vertet ignorantem, calamitosum cernis Patrem, cernis matrem frigore congelatam, infortunam parentum aduertis vitam, nec tamen calamitatibus eorum cōdolens, auxiliatricem porrigis dexteram. O infortunatum Patrem! infelicem proh dolor matrem tali filio non ornatam at oneratam!

i. seri
 p. p. l. a
 p. e. r. a

ratam ! Quid ò crudelis homo proderunt
 opera charitatis , si tantam impietatem
 parentes admittis? Esle tibi dedere paren-
 tes, vitam tibi donarunt , auxiliante Deo
 æquiuale licet reddere non possis, saltem
 conseruationem sustentationemque vita
 gratanter restitue. Sæpe Mater tuæ salutem
 consulens, dum vagiens lactareris, ieiunio
 lac nutritium temperabat ne morbus nate-
 ceretur; & ecce beneficij immemor, mor-
 bidos parentum non foues artus. Ciconia
 instinctu quodam naturali parentes decre-
 pitos alit & sustentat , & patierne filius
 parentes suos penuria premi ? Mirandum
 sanè est quod hic appositè ex Cæsario re-
 feram. Iuuenis quidam vxoris amore com-
 pulsus, mellitis verbis Parentes circumue-
 nerat, rogans vt ij omnibus bonis renun-
 ciantes apud se commorarentur. Sed ver-
 borum fraudulentiam sequès demonstra-
 uit euentus. Elapso namque primo anno,
 quem satis fœlicem habuerant parentes, in
 cohabitatione prolium, secundum prorsus
 infaustū ingressi sunt. Iam enim filius pro-
 missi quasi immemor factus, senectutis im-
 patiens Parentes expellit à Domo. Qui
 summa egestate laborantes cum ad ædes
 filij manducatur⁹ pergeret pater, filius im-
 pius

*Tom. Cantip.
 lib. 2. apum. c.
 7 p. 4.*

*Cæsarius lib. 6.
 6. 22.*

pius paternum presentiens aduentum, pullum qui igni admotus erat, amoueri protinus iubet. Cum autem iam pater repulsam passus tugurium lugubris repeteret; filius ablatum pullum igni rursus iubet admoueri. Quod cum ancilla facere pergeret, non pullum, at serpentem inuenit reconditum. Stupet illa ut par erat ad intuitum, retrogreditur & hero suo omnia per ordinem recenset. Friuolum arbitratur, qui pullum se non serpentem abscondisse sciebat. Pergit ad locum dumque pullum leuare nititur, serpens in nodum complicatus, collum viri apprehendit, nec prius eum deseruit, quam is voce publica peccatum suum, adiuncta contritione fateretur. Exemplum sane mirandum, vobis, qui crudeles estis in pauperes amicos.

XXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXX

QVOD INIMICIS ET
IAM ELEMOSYNAS CON-
FERRE OPORTEAT.

CAPVT XXXVIII.

DVrum equidem est sensualitati hoc
genus mandatorum adimplere. Nec
tamen

i. seri
p. v. l. a
p. e. r. a

tamen defuere qui Charitatis prerogativa
pollentes, non solum quacumque Eleemo-
syna inimicis subuenerunt, sed & hospitio
exceperunt, fouerunt, & alimentis refocil-

*Nicephor. lib.
2. ca. 38.*

larunt. Inter quos non minimus est Mela
Episcopus qui ab Arrianis inquisitus ut in-
carceraretur, eis factus obuius, & quo in
loco Mela moraretur interrogatus, sic re-
spondit: Diuertimini aliquantulum ad me
& refocillamini, donec eum quem deside-
ratis inquisiero. Cumque iam naturae satis-
fecissent, sese aperiens inquit: Ipsemet ego
sum Mela, eum quem queritis, in praesentia
possidetis. Mirabilem sane charitatis vir-
tutem! Non parcat cibis, non Domum suam
celat Episcopus, non corpus protegit, sed
ultronee corpus tantum inquirentibus, suf-
ficientia humanitatis impendit obsequia.
Ab hac perfectione distat, quicumque ini-
mico subuenire recusat, quicumque vin-
dictam cupiens dicit: Inimicus meus est,
non eum ferunt oculi mei, vix de eo cogi-
tare valeo, & eius indigentiam subleuabo?
David Humanissimus Rex, Aegyptium ser-
uum Amalechitae inimici sui infestissimi
fame tabescentem pane refocillauit, eique
vitam tribuit; & tu homuncio, inimicum
deficientem, indigentiam demonstrantem

1. Reg. 30.

prate-

præteribis? Alienum prorsus est à lege di-
uina. Nam diuinorum mandatorum præco.
Paulus docet sic: *Si esurierit inimicus tuus ci- Rom. 12*
ba illum, si sitit, potum da illi. Vide igitur ne
inimicum dum deseris, dum eius non mi-
fereris, & te pariter deserat Deus, & in mi-
feriam labaris.



QVOD PEREGRINIS
ELEMOSYNAS DECEAT
TRIBVERE.

CAPVT XXXIX.

Non solum autem inimicis benefaci-
endum est, sed & ignotis, peregrinis
ac viatoribus eadem humanitatis confe-
renda sunt officia. Humani namque nihil
demit longinquitas patriæ, aut originis
ignoratio, vt benè docet Augustinus his
verbis: *Omnis homo est homini proximus,*
nec vlla cogitanda est longinquitas generis,
ubi est Natura communis. Extraneum i-
gitur vt propinquum recipe, proxi-
mus enim est qui nihil ab humanitate
alie-

i. seri-
pudic
vera

alienum habet: Ideò etiam Deus in Creatione Mundi productis varijs animantium generibus, vnicam produxit hominũ speciem, ne in vita oriretur vlla dissonantia, vbi originis nulla intercederet distantia. Nisi putamus non esse proximos, nisi qui ex iisdẽ parentibus nascuntur, Adam & Euanam intendamus, nosque omnes Fratres esse deprehendemus. Terra mater est, Deus formator, & artifex, communis origo, communem expetit humanitatem. Quod si effrata mens hominum peregrinos despicit quandoq; & inhumanè recipit, non ideò desperandum est, speret in Domino, qui pauperem ditat, & diuitem inopem facit. At verò vereatur inhumanus ne Deus forte permutata miserum efficiat eum, qui misero misericordiam conferre recusat. Deus enim tibi diuitias gratanter tribuit, quas eodem iure si iniuste feceris tollere valebit.

1. Pet. 4.

Heb. 13.

Psal. 145.

Ad hæc autem charitatis opera nos prouocat scriptura varijs in locis. *Hospitalis inuicem sine murmuratione.* Et alibi. *Charitatis Fraternitatis maneat in vobis. Et hospitalitatem nolite obliuisci, per hanc enim placuerunt quidam, angelis hospitio receptis.* Et Psalmista: *Dominus custodit aduenas.* Quantam autem

autem aduenarum curam habeat Dominus aperte demonstraui Deuteronomij 24. cum dixit: *Quando messueris segetem in agro tuo, & oblitus manipulum reliqueris; non reuerteris ut tollas illum: sed aduenam & pupillum auferre patieris, ut benedicat tibi Dominus Deus &c. Si fruges collegeris oliuarum quicquid remanserit in arboribus, non reuerteris ut colligas, sed relinque aduene & pupillo. Si vindemiaueris vineam tuam, non colliges remanentes racemos: sed cedent in usus aduena pupilli & vidue.* Hisque positis rationem præcepti subiungens ait: *Memento quod & tu seruieris in Ægypto, & idcirco precipio tibi ut facias hanc rem.* Ægyptij namque si tanta charitatis impenderunt officia Abraham Isaac & Iacob, cæterisque Fratribus Ioseph, quid Christianos fidei lumine illustratos, facere conuenit? Benè quidem agit qui pauperes indigenas alit (dum enim aduenas commendo otiositatem non permitto) sed & benè agit qui viatoribus alimenta die vno aut altero subministrat.

Cap. 24. &
28.

Genes. 12. &
47.

L

QVOD



QVOD QVANDOQVE
MAGIS EXPEDIAT PAVPERI-
BVS DARE, QVAM ECCLIE-
sias exornare.

CAPVT LX.

Mirabitur fortassis quispiam, nouum
arbitratus quod plus mereri censet
eum qui pauperibus subuenit, quam eum
qui altaria nuda, aut informes Ecclesias in-
uestit, attamen hoc nouū non est. Zachæus
namq; exemplum hoc suggerit, qui non se
Deo sed pauperibus dimidiū bonorum da-
re demonstrauit. Veruntamen ne fortè im-
prudantium hominū conscientiam lacerare
videar, id apertius enucleabo. Videntur e-
tenim pleriq; Patres docere, & ad hoc faci-
endum eorū exempla prouocare. D. Ioan-
nes Chrysoströmus eius est opinionis. D.
Exuperius Episcopus Tholosanus, sacra
vasa in usum pauperū, & in famelicorū su-
stentationem confringebat, adeo vt Corp⁹
dominicū in sportula, sanguinem verò in
cypho deferre cogereetur. Ambrosius &
August.

sup. Matth. 26.

In legenda.

August. in tempore necessitatis confringē- *Lib. Gradat*
 dos esse calices censent vt pauperū inopia *traff. de Elec*
 subueniatur. Seraphicus Pater noster Fran- *mos.*
 ciscus exuendum esse altare Beatæ Virg. *Bonau. in vid.*
 aiebat vt pauperibus subueniretur. Sed hoc
 intelligendum est. Si enim de opere per se
 sumpto loquamur, excellentius est Deo
 dare, quam homini, cum Dei amor infi-
 nitates humanum superare debeat amorem,
 attamen cum Deus nostris nullo modo in-
 digeat, *nam bonorum nostrorum non eget,* *Psal. 15.*
 tunc deo placenter offerimus, cum mem-
 bris inopibus damus. Vult enim Deus vt
 proximum amem^o, & ad eum amorem, si-
 militudo impellit, nam vt inquit Philoso-
 phus *omne animal diligit sibi simile.* Accep-
 tum deo quidem est quod Ecclesijs offeri-
 mus, verum in necessitatis tempore grati-
 us est & humanum magis, eas Eleemosynas
 pauperibus distribuere. Nam de tempore
 necessitatis intelligenda sunt Sanctorum
 Patrum exēpla Si enim abesset necessitas,
 expediret magis ad augmentum honoris
 Dei, Ecclesias decorare, quam pauperes va-
 gabundos sustentare. Et de eo tempore in-
 telligēda sunt decreta, quæ fanciunt, ne da-
 ta deo, & in obsequium altissimi consecra-
 ta, in vsus communes referantur.

L 2 Neces-

*6. Decret. de
 regul. iuris,
 reg. 51.*

Necessitas autem vrgens est, redemptio captiuorum, fames vniuersalis, sustentatio viduarum & pupillorum, in quibus cibus arridet Deo magis Misericordia quam sacrificium. Ideò in sacrosancta Ecclesia de Laurentio Martyre canitur: *Laurentius bonum opus operatus est, qui per signum Crucis cœcos illuminauit, & thesauros Ecclesia dedit pauperibus.* Et vt refert D. Ambrosius, & vt habetur in canonibus Ecclesiasticis, Ecclesia thesaurum habet, non vt possideat, sed vt illud indigentibus diuidat. Alioquin dicere posset Dominus; vt quid thesaurum conseruastis? illo non indigebam; quid ni famelicum satiastis? cur captiuum non redemistis? Igitur pauperibus de bonis Ecclesiæ subueniendum est.

Matth. 9.

In officio festi.

2. quæst. 2.
Can: Aurum.

QVOMODO VIDENDVM SIT, QVIBVS ELEEMOSYNA CONFERRATUR.

CAPVT XLII.

QVonia plerumque fit, vt pauperes Eleemosynam recepturi minus iusti sint.

sint, alij iustiores, hinc est quod scrutatio
 permittitur tribuentibus, dummodo non
 nimis curiosa sit, & vitam ad amissim dis-
 cutiens indigentis. Neque enim bene fa-
 cta vel collata videtur Misericordia, ei qui
 non promeretur, vt Istrionibus, insanis si-
 mulatam fatuitatem præferentibus, A-
 dulteris, Fornicatoribus, & his similibus;
 Quorum vita prius limanda est & inqui-
 renda, quam Eleemosyna conferatur, nè
 beneficijs abutentes, inde Liberiorem si-
 bi peccandi ansam assumant. Et ideo Mi-
 sericordiam semper comitari debet Pru-
 dentia, quæ virtutum agmina ita dirigit, si-
 cut oculus, hominis ambulantis pedes di-
 sponit. Ideoque benè Sapiens dixit: *Oculi
 tui recta videant, & palpebrae tue præcedant
 gressus tuos.* Vide cui Eleemosynam præ-
 stes, scrutare num fidelis, & pius sit. Seue-
 ritatem tamen vitare conuenit; qualis erat
 Alexandri Seueri, qui nunquam eorū mi-
 serebatur, qui exstirpe cum essent nobili,
 per defectum proprium in paupertatem &
 inopiam deuenerant. Maior enim est hæc
 scrutatio quam expediat; & bene seuerita-
 tem nominis & operis demonstrabat. Talis
 non erat S. Ioannes Eleemosynarius, qui
 pauperiter habitu variato, ter Eleemosinā

In vit.

L 3 tradi-

i. seri-
 cordia
 vera

tradidit quamuis id eum non lateret, sed
inquietabat; *fortè hoc pacto Deus cor meum
experitur.*



QVOD ELEEMOSY-
NÆ LARGITORES, VIDVIS,
ORPHANIS, STUDIO SIVQVE
adolescentibus maximè subuenire
debeant.

CAPVT XLII.

ECce inquit Zachæus dimidium bono-
rum meorum Domine do pauperibus.
*Sed quibus pauperibus? Ægrotantibus, præ
senectute laborare non valentibus, cæcis,
& his similibus. Quibus pauperibus? Iis qui
pudore suffusi propter infœlicè fortunam,
mendicare erubescunt. Hoc præclare do-
cuit Oratorum facundissim⁹ Cicero inqui-
ens: Eorum misereri oportet, qui propter for-
tunã non propter crimen in miserijs sunt. Qui-
bus pauperibus? Paruulis ignotis qui à pa-
rentibus derelicti vagantur in incertum.
Misericordiam in similes impendendam*

Rhetor. 2.

esse docent animalia bruta. Nam vt refert *lib. 1.*
 Titus Liuius Romulus & Remus in deser-
 to derelicti pueruli adhuc, necdū ablaeta,
 ti à Leana nutriūtur. Cyrus Persarum Rex *Iustinus lib. 1.*
 ab Auo Astiage in prædam feris datus à ca-
 ne conseruatus, ab eodem nutritus fuit. Sa-
 bellicus refert Pyndarum extorrem à Pa-
 tria per apes nutritum fuisse, ipsis mel in
 os eius imponentibus. Quod cum ita sit,
 tantaque sit brutorum charitas erga paruu-
 los derelictos, quid agere debent humani
 erga eosdem? deplorandum reuera eorum
 est infortunium, deffenda omnimodè ca-
 lamitas! at verò & summopere repræhen-
 denda talium parentum crudelitas! *Quibus*
Pauperibus? Studiosis sanè adolescentibus
 quorū voluntas benè proficiendi mediourū
 defectu sæpe numero præpeditur. Exem-
 plum præbet Herodes Atticus, qui rogatº à
 Philosopho vt sibi peccuniã qua panem e-
 meret, erogaret, quisnã esset interrogauit:
 Eo verò dicente se Philosophū esse, illi tri-
 ginta dierum panem dari imperauit. Nec
 frustra subuenitur studiosis adolescenti-
 bus, fructus siquidē studiorum persæpè in
 Ecclesiã cedit vtilitatem. *Quibus Paupe-* *Aulus vellius*
ribus? Orphanis & pupillis vtriusque sex- *lib. 9. c. 2.*
 us. Maximè tamen filias orphanas, parenti-

bus orbatas, quorum honor quotidie vacil-
lat, quorum honor periclitatur, quorum
fama præ inopia persepe venalis exponi-
tur. Fiet etenim in earum educatione bo-
na vestra multiplicentur, vt non solum in
hac vita, sed & in altera centuplum vobis
restituatur *orphanorum Pater*. Obstetricibus
Ægyptijs ædificauit Deus domos, quia mi-
sericordiam paruulis Hæbræis fecerant;
quanto magis vos in bonis omnibus cum-
mulabit altissimus, si sexus fragilis, fœmi-
nei in quam generis miserti fueritis. Gen-
tiles illas obstetrices fœcundas effecit De-
us, tum in bonis, cum in prolis multiplica-
tione: ita pariter vobis fiet ò mulieres, si ve-
stri in fœlicis sexus misertæ fueritis.

Nec desunt exempla quibus id probare
possem, vnicum tamen sufficiet. Euphenia-
nus Nobilis Senator Romanus, sterilem
habebat vxorem. Qui cum per dies singu-
los, pietatis & Misericordiæ operibus in-
tenderent, tandem filium Alexium sancti-
tate cælebrem habere meruerunt. Vos ita-
que Mulieres, quibus misericordiam sug-
gerit similitudo, orbatas illas filias adiuua-
te, earum honori consulite, sicut vobis in
tali necessitate constitutis consultum fuisse
desideratis. In domos vestras recipite ne
sicut

Psal. 67.


Exod. 2.

Esther. 6.

sicut oves errantes vagentur, honorē propter inopiam exponentes. Estote illis vt Matres, nec imparem Mardocheo vobis comparabitis honorem. Laudo & Ciuitates illas extollo in quibus Domustales eriguntur, in quibus ignorantes doceantur, peccatores corrigantur & orphani in bonis moribus educentur. Hoc enim olim præcepit Regius psaltes cum diceret: *Orphano tu eris adiutor.* Hoc ipsum non sine mercedis repromissione consuluit Isaias Propheeta inquiens: *Querite iudicium, subuenite oppresso, indicate pupillo &c.* Et subdit: *Si fuerint peccata vestra vt coccinum quasi nix dealbuntur, & si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt.* Et iterum Dominus Deuteronomij 14. inquit: *Veniet peregrinus ac pupillus & vidua & comedent & saturabuntur: vt benedicat tibi Dominus Deus tuus &c.* Et in Exodo prædixerat: *Vidua & pupillo non nocebitis. Si laeseritis eos, vociferabuntur ad me & ego exaudiam eos. Et indignabitur furor meus super vos, percussiamque vos gladio, & uxores vestra erunt vidua & filij vestri pupilli.* Et in Ezechiele conqueritur, quia contristauerunt pupillum. D. Iacobus in Epistola catholica veritatem religionis demonstrans inquit: *Reli-*

gio munda & immaculata apud Deum & Patrem hæc est: Visitare pupillos & viduas in tribulatione eorum. Denique vt varias Patrum authoritates quas per ordinem longiforet recensere omittam, eam solam summi Pontificis monitionem attēdite: Si quis Christianus orphanus fiat, siue puer, siue Virgo, bene erit, si aliquis ex fratribus puerum suscipiat, & filij loco habeat: hoc enim qui faciunt opus magnum præstant, orphanorum Patres facti, & à Domino Deo consequentur huius officij mercedem.

Lib. 4. consti-
Apost. c. 1.
2.



QVOD OTIOSIS ET
VAGIS DISCVRSORIBVS E-
LEEMOSYNA NON SIT
tribuenda.

CAPVT. XLIII.

Dimidium bonorum suorum Zachæus dat pauperibus sed nunquid pauperibus otiosis quibus cū laborandi præbeatur facultas, laborē subterfugiunt, & vagabundi vniuersa vrbis compita perlustrant? Absit.

fit. Tales enim tantum abest. vt nutriri deceat, quin magis eos ad triremes relegare expediat. His loquitur Sapiens Dum inquit: *Vade ad formicam ô piger. Scrutare quemadmodum formica æstate tota laborat, vt ex affiduo labore hyemis intemperiem fugiens, vitet. Laborat formica, insudat equus vt pabulum accipiat; oneri se subijcit asinus, vt alatur: Et homo cui laboris facultas concessa est, otio torpebit? Videat quisquis is est, ne fame pereat. Nam illud intentavit Sapiens dicens: Propter frigus piger arare noluit, mendicabit igitur æstate, & non dabitur illi.*

Proverb. 6.

Hoc ipsum fabuloso ænigmate declaravit Æsopus, quæ fabula, quia vulgaris est, & omnibus nota à nobis omitti poterit. Nec mirum esse debet, si piger otio dedit, laborem æstiuū subterfugiens, fame pereat. Diuino namq; mandato summè aduersatur qui cū laborare possit laborem omnimodū deuitat. Deus enim propter protoplasti peccatum cōmuni quodā flagello genus humanum feriens inquit: *In sudore vultus tui vesceris panem tuo, quomodo autē in sudore vescetur; si vagabundus ostiatim querat, panem, quem sibi labore non cōparauit?*

Hoc

Proverb. 20.

Genes. 4.

2. Thes. 5.

Hoc sane vitium à Christianis alienum esse volebat Apostolus cum dicebat *Si quis non vult operari nec manducet*. Ideo etiam Apostolorum Princeps cum robustum iuuenem mendicare vidisset, correptum, grauiibusque verbis reprehensum labori se dare cōpulsit. Sicque fieri expedit. Nam dum vitium ostiatim per pagos quærere se simulant, latrocinijs, impudicis que rebus se totos dant. Si dare recusat aliquis, ad id, vi cōpellunt nō secus ac milites. Talis ergò penis publicis, castigationibusque exemplaribus mulctare decet.

Non enim solummodo alijs fidelibus pauperibus iacturam inferunt, sed simulatis morbis, simulata necessitate, membrorum tam priorum quam filiorum distortionem quoslibet decipiunt. Sed hos ita sanare, & eorum morbis ita mederi conuenit, quemadmodum Nobilis quidam Ludouici Regis Galliarum aulicus pauperes expergefecit. Nam hic cum Regem in Misericordiam inclinatum conspexisset, eumque Misereri; infortuniumque simulatae egritudinis dolere vidisset; subito ad regem inquit: Aliquantulum Maiestas hic moritur, nouo enim miraculo subitam eis restitutam sanitatem. Apprehendens igitur aurigæ

aurigæ flagellum excellenter eos excepit, qui simulata infirmitate, amentiam; membrorumque mutilationem præferebant. At hî, morbo præstantiora sentientes verbera fugam cœperunt; Et qui claudus erat, utroque pede iam sibi effugium inquirebat, qui amentiam simulabat, iam verberibus compulsus, viam euadendi sapienter exquirebat. Nouum sanè & præstans miraculum. Utinam talem medicum experirentur, qui adhuc hodie simulatas ostentant ægitudines. Qui mortuos se simulant, vt largiorem referant Eleemosynam. Surius in vita S. Gregorij refert Duorum indigentium mortem simulatam, in realem pertransisse. Hy namque duo cum per strata publica cursitarent, ad viam per quam Sanctus Gregorius erat transiturus peruenerunt. Simulat eorum alter se mortuû: conclamat alter, dolet, & subitaneum socij casum lugubri lamentatione deflet. Transit illac D. Gregorius, lamentatur mortuum socius & nuditatem demonstrans, vestem qua contactus erat Episcopus sibi dari flagitat, ad socij nuditatem contegendâ. Miseretur piè, pius Pater, vesteque se spoliatur vt defuncti corpus inuoluatur. Mirabile dictum dum veste contegitur qui viuus mortuum

tuum

i. seri
pudic
vera

tuum simulabat, iustè à Domino vita priuatur. Recedit Episcopus, & inceptum iter progreditur. Ludit alter, Episcopum Iulianus inquit; exultat ille, & quem viuum viderat procumbere, iam mortuum nititur suscitare. Sed frustra. Eum enim Deus vita priuauerat, qui per simulatam mortè Sanctum Episcopum veste spoliauerat. Nec absimile est quod author idem refert in vita Sancti Epiphani. Et his tribuendam esse Eleemosynā non inhibeo, sed nec consulo.

Sunt & alij quibus nequaquam Misericordiæ impendenda sunt beneficia. Ijs scilicet, qui fugam capiunt dum paupertatem subleuaturus ciuis quispiā misericors accedit. Qui inquam mundari nolunt & ab infirmitate liberari. Ob hanc causam vt reor interrogabat Dominus infirmū quem sanare volebat his verbis. *Vis sanus fieri?* vt reprehendat impostores hos, quib⁹ infirmitas arridet, quoniā inde sibi vitæ alimenta conciliant. Talis erat mendicus ille (de quo in vita S. Martini) qui famā Sanctitatis viri audiens, intelligensq; q̄p mancos & claudos redderet sanitati, ne ab eo redderetur sospitati in alterū locum transferri se curauit. Talibus nequaquam conuenit Eleemosynam elargiri. Similiter nec eorū decet misere-

2. Machab. 12.

dum hæc pauperi tribuuntur, eius præci-
bus adiuuatur. Hoc sanè ducem strenuissi-
mum, Iudam Machabæum ad opus tam
sanctum stimulauit, vt pro defunctis duo-
decim millia drachmas argenti Hierosoly-
mam mittere non dubitauerit. Hoc etiam
Paganos persensisse comperio, qui defun-
cti ori argenteum nummum imponebant,
quo Acherontis gratia comparata, ad Eli-
fios campos properarent. Vnde Iuuenalis
infœlicitatem pauperum deplorans inquit:

Satyr. 3.

*Infœlix nec habet, quem porreat ore tri-
entem.*

Lib. 5. const.
cap. 4.

Verum omiſſis Paganorum nugis atque
superſtitionibus Apoſtolorum exempla
ſectemur. Clemens Papa refert Apoſtolos
Epiſcopis imperaſſe vt nomina benefacto-
rum pauperibus recenſerent, quatenus il-
li pro ſuis benefactoribus deum deprecu-
rentur. Idem refert D. Petrum in pontifi-
catu prædeceſſorem in ipſo mortis articu-
lo curam mortuorum adſtantibus, feruen-
tiſſimè commendat. Quod etiam opus
laudabile, vobis non ſolum videndum, ſed
& quaſi palpabile præſtare volens, Sancto-
rum factis, Patrum teſtimonia adiungam.

Lib. 8. c. 42.
¶ 43.

D. Auguſt. funerum pompas exceſſuſq;
conuiuiorum increpans, ſuadet hoſ omnes
ſuper.

superfluos sumptus in Eleemosynas con- Epist. 64.
 uerti, quæ haud dubio, plus proderunt ani-
 mabus mortuorum, quam hi sumptus ce-
 dunt in honorem viuorum. Immò vt idem
 testatur pl^o profunt Eleemosynæ datæ pro
 mortuis animabus defunctorum quam la- Serm. de ver-
 chrymæ etiam omnium amicorum. Vnde bis Apli.
 S. Paulinus Atheniensem quendam laudat, Epist. ad A-
 quia amplas pro vxore defuncta largitus leth.
 fuerat Eleemosynas. Extollitur & à D. Hie- Epist. ad Pa-
 ron: Pammachius, quod vxori defunctæ per mach.
 Eleemosynas suffragatus fuerat. D. Basilus
 eleganter admodum & appositè inquit: Si
is qui obiit peccator erat, non modò plorare a- Orat. de Laza-
portet, verum Eleemosynas dare, aliaque, id ri. resuscitati-
genus prestare, quæ mortuo aliquam consola- one.
tionem adferre queant. Chrysostomus, hanc
 liberalitatem summè prædicat, & nouo
 quasi laudis genere extollès, ideo dicit pau-
 peres ad exequias cõuocari, vt eorum præ-
 cibus adiutus *defunctus requiem adipiscatur.* Hom. 32. in
 Quis malum esse dicat, quod Spiritu san- Matth.
 cto disponente, ordinatum est? Has ergò
 pro mortuis preces, & suffragia nemo con-
 temnat, nam teste Chrysostomo à Spiritu Hom. 21. in
 Sancto ordinatæ sunt. Nec papisticam pa- act.
 gani dicant ordinationem, nec enim noua
 est nec inusitata, sed à multis sæculis, & ab

M anti-

*Hom. 41. in
1. Corinth.*

Super. 12. Luc.

antiquis etiam paganis recepta. Idem Chri-
stomus mortuis subueniendum esse dicit,
non lugubri lamentatione aërem quatiendo,
sed Eleemosynas pauperib⁹ largiendo
sed sanctorū suffragiā implorando. Theo-
philactus, dictis, suam quoque, annectens
sententiam censet, non solū Eleemosynas
animabus defunctorum prodesse ad venia-
lis culpæ remissionē; sed etiam ad mortalis
pœnæ, plurimum proficere subtractionē.
Quæ sanè omnium Patrum testimonia in-
dubitātū faciunt Eleemosynarū effectum.
Nec ingrātū fore arbitror, si eorū auctori-
tatis auctenticū inseram exemplū. San-
ctius Castiliæ Rex Lugdunū proficiscens
fatali Parcarū stamine rupto interiit. Cui⁹
corpus in monasterio quodā vicino sepul-
tum, vxor quotidianis obsequijs honestare
voluit. Igitur illa, die quodā corā altari pro-
strata dum pro anima defuncti mariti Deū
orat, stupendum cernit euentum. Apparet
namq; anima mariti catenis cōstrincta fer-
reis, nigrissimis comitata spiritibus. Stupet
illa ad intuitū horrendi spectaculi, & attē-
tius finem præstolatur euentus. Appropin-
quat ille, vxoremq; bono iubet esse animo.
Pars mihi inquit cum fidelibus est, verun-
tamen crucior quoadusq; plenè pro deli-
ctis

Etis satisfecero. Tu verò operibus bonis atque assiduis insiste Eleemosynis, quò citi⁹ his expediar cruciatibus. Illa præcepti non immemor, indigenti cuidam sacerdoti tunnicam tribuit qua se contegat. Vix opus illud adeò sanctū à se recesserat, cū ecce cōparet ille qui à spiritibus olim vexabatur in candidis vestimentis, seque propter opus charitatis saluatum esse testatur. Mirandā sanè Eleemosynæ virtutem, quæ non solū spiritus expellit immundos, sed etiam gaudia retribuit sempiterna.

Vos igitur ò diuites quibus mædia suppetunt; qui indigentiam cernitis alienam, mementote charitatis, mementote egestatis. Sinè pudore mendicare non potest pauper, quod si in mendicitate erubuerit, proculdubio fame peribit. Videte ne aurum vel argentum quod pauperibus plerumq; subtrahitis fiat *aurum Tholosanum*, de quo ut inquit quidam poëta,

Non gaudet tertius heres.

*Erasm. in
chiliad.*

Cauete ne dum pauperi partem denegatis argenti, malorum omnium participes efficiamini; furtorum, latrociniorū & aliorum, quæ pauperiem teste Poëta concomitari solent.

*Horat. lib. 2.
carm.*

Magnum pauperies opprobrium iubet.

Quiduis & facere & pati. M 2 Vv-

Ad Charidem.

Syll. Italic.
carm. 24.

Luc. 16.

Iob. 2.

2. Reg. 19.

Virtutisque viam deserit ardua. Et subiungit Martialis.

O quantum cogit egestas. Et alius.

Et deforme malum, & sceleri proclivis egestas.


Ne igitur hæc omnia vestra de causa contingant date munificè, date liberaliter. Mementote quoniam antiquis mos erat, ut ciborum suorum partes mitterent egentibus. Nehemiæ namque 8. dicitur: *Mutamus partes his qui non preparauerunt pinguis & mulsam.* Nec mirum, siquidem expedit ut membrum à membro adiuuetur. Nos ergo qui eiusdem Ecclesiæ membra sumus, auxiliatricem indigentibus dexteram porrigamus. Nec frustra pauperes in mundo esse quis dicat; si namq; pauperes nulli forent; quis diuitibus inferuiret? Sed & Leo mure indiget quandoque, ut fert fabula. Vos verò pauperes quibus mædia non tribuit Dominus: in patientia vitam degite. Vos namque, sicut & Lazarus aeterna manent proemia. Consolamini, sicut & Iob in afflictionib⁹ vestris, licet enim in sterquilinio hæreatis, sanie repleti; attamen duplicata vobis restituentur omnia. Consolamini inquam in egestate, ad instar Helix, nam si diuites Achabite vobis non subuenerint, susci-

fuscitabit Deus vel Angelos, vel coruos qui
vestram subleuent indigentiam. Consola-
mini in tribulationibus vestris ad exemplū
Danielis; nam & si in lacum leonum demis-
si fueritis, fuscitabit Deus Abacuc Prophe-
tam qui vos inde eripiat & sustentet. Deni-
que si ad inltar Dauidis sub dio iacueritis,
recipiet vos Deus in æterna tabernacula.
Animosè igitur propera ad palmam paupe-
rum cohors; *iacta super Dominum curam
tuam & ipse te enutriet.*

Daniel. 4.

1. Reg. 21.

Psal. 54.



NON OMNES QVI E-
LEEMOSYNAM FACIVNT
ESSE SALVANDOS

CAPVT XLV.

Licet Dominus noster Iesus Christus
beatos prædicet Misericordes eisque
præmia polliceatur æterna, non tamen
quosuis Misericordes prædicat beatos, sed
eos dumtaxat, qui Misericordiæ operibus
charitatis atque fidei insignia coniunxerūt.
Eos inquam qui vitiorum pestilentiam fu-
gientes, virtutumque cacumina scanden-

M 3 tes

tes pia Misericordiae opera exercuerunt; nec tamē in quouis statu, sed in statu gratie. Quoniā verō nonnullos decepit error iste, necessarium duxi, hic in medium adducere sententiam D. Augustini dicentis: *Comperit quosdam putare eos tantum arduos illius aternitate supplicij, qui pro peccatis suis facere dignas Eleemosynas neglexerunt, iuxta illud Iacobi: Iudicium sine Misericordia fiet ei qui nō fecerit Misericordiam, qui ergo fecerit (inquunt) quamuis mores in melius non mutauerit, sed inter ipsas suas Eleemosynas nefarie ac nequiter vixerit, iudiciū cum misericordia futurū est ut nulla damnatione plebatur, aut post aliquod tempus sine paruum sine prolixum ab illa damnatione liberetur. Sed heu miseri toto aberrant cœlo, eorumque error & opinio cædet illis in supplicium sempiternum. Nam licet beati sint futuri Misericordes, attamen nō omnes saluabuntur, quinimō plurimi eorū damnabuntur, nempe qui sine charitate vel extra gratiam Dei opera illa Misericordiae exercuerūt, & ultimū vitæ spiritū in peccato mortali existentes exhalarunt. Ideō Doctor eximius, vsq; electionis D. Paulus inquebat: *Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, charitatē autem non habuero, nihil mihi prodest.**

Lib. 25. de Ci-
uit. c. 32.

cap. 2.

1. Corinth. 13.

prodest. Neq; etiam soli Misericordes saluā-
 di sunt. Sunt etenim pleriq; q̄ in gratia bap-
 tismali decedentes, nullum opus charitatis
 exercuerunt, quibus tamen vita debetur
 sempiterna. Sunt & alij qui in infantia vel
 pubertate decedentes in gratia per alia o-
 pera adepti sunt regnum æternum. Igitur
 prodest Eleemosyna peccatoribus ad sub-
 sidium gratiæ diuinæ implorandum, quod
 si in peccatis permanserint, neque ope-
 rum charitatis proemium etiam tempora-
 le polliceri audeo. Non ergò se fallant qui
 per Eleemosynas etiam largissimas, fru-
 ctuum suorum, vel cuiuscumq; peccuniæ,
 impunitatem se emere existimant in faci-
 norum suorum immanitate, & flagitiorum
 nequitia permanēdo: horum namq; operū
 merces nulla dabitur, nisi prius se à vitiorū
 inquinamentis expiauerint. *Multi* (inquit
 D. Greg.) *proximis quasi opera Misericordiæ
 impendunt, sed iniustitiæ facta non deserunt;*
qui si veraciter proximis Misericordiam fa-
cere student, sibi ipsis primo debuerāt misereri;
scriptum est enim Miserere anima tua placens
Deo. Et alibi elegantius inquit: Qui es-
cam aut vestimentum pauperibus largitur,
sed tamen anima vel corporis iniquitate pol-
luitur, quod minus est obtulit Iustitiæ, & quod
minus est culpa commisit, sua enim Deo dedit,


M A E se

Moral. 19. c.
20.

Eccles. 30.
Pastoral p. 3.
c. 21.

Miseri-
cordia
vera

& se Diabolo. Ideò vt refert Cœlestin⁹ Diabolus Domicillæ cuiusdã opera pia & Misericordiæ subsannando irridebat, quia cū omnibus pietatis operibus in confessione mortalia peccata reticebat. Iungat igitur pietatem, pietatis operibus, qui proijs, æternæ vitæ quærît retributionem.



QVOD MISERICORDES IN STATV GRATIÆ AD BEATITVDINIS CONSECVTIONEM ea opera exercere debeant.

CAPVT XLV.

Postquam Zachæus dimidium bonorū suorum pauperibus se dare indicavit, adiunctis omnibus ad operis valorem conditionib⁹ requisitis, à Domino audire meruit: *Pax huic Domui facta est*; vnde Dominus indicasse videtur extra charitatem, extra gratiæ statum, parum vel nihil prodesse opera Misericordiæ. Ideò fortassis & vt arbitrator (saluo meliori iudicio) in sacra scriptura, Eleemosyna gratia nuncupatur, *hos*
mitiam

mittam (inquit Apostolus) perferre gratiam
 vestram in Hierusalem, quia ad eius perfe- *1. Corinb. 16.*
 ctionem gratia maximè requiritur. Si enim
 extra charitatem & in statu peccati morta-
 lis, exhibita fuerit, nihil omninò promere-
 tur. Sic testatur D. Gregorius dum inquit:
non habet aliquid viriditatis ramus boni ope- in homil.
ris, si non manserit in radice charitatis. Immo
 etiam si in peccato mortali vel extra grati-
 am hæc opera quis exercuerit, materialiter,
 (vt scolasticis vtamur terminis) non for- *D. Tho. 2. 2.*
 maliter Eleemosynæ sibi nomen vendicat. *quest. 32.*
 Arsenius pius admodum Heremita. cum in
 visione hominem quendam aquam è pro-
 fundissimo puteo haurientem, & in cribrū
 vel in vas pertusum effundentem vidisset; *Plat. in stat.*
 requirens huius visionis explanationem, *Relig. lib. 1.*
 Angelo suggerente audiuit: talia sunt ope-
 ra bona quæ extra gratiam facta sunt, talia
 sunt opera Misericordiæ, quæ humanum
 fauorem expetunt. Vt igitur opera vobis
 profint, exuite veterem hominē cum ini-
 quitatibus; & induite nouum; virtutum in-
 signia, atq; charitatis & amoris Dei incen-
 dium assumentes. Tunc enim opera vestra
 alioquin infructuosa, grata Deo erunt &
 accepta, & proijs gaudia retribuet sempi-
 terna, Augustum, excelsūque sanè proe-
 mium,

mium, respectu operis! in gratia illud proderit, sine gratia ad nihilū valebit. Nūquid Iulianus Apostata saluus factus est, qui in varijs locis simulās Misericordiam, domos Misericordiæ construxerat? tantum abest, quin immò pessima morte interijt. Nam propter scelera & blasphemias, tyrannidemque qua in Christianos fæuebat à Diuo Mercurio, (vt refert Amphiloehius) lancea transfossus, sanguinem in aëra voce blasphema proijciens dicebat: *Vicisti Galilæe, vicisti.* En miserabilem finem de- testandumque huius infœlicis, exitum; bona opera exercuerat simulata sanctitate, en proemium quod recipit, non sibi gaudium, sed supplicium comparauit æternum. Si nobilis aulicus Regi poma exterius placentia interius verò corrupta offerret, nunquid aspero vultu, reciperet, aut tanquam inania contemneret? talia sunt opera Misericordiæ in peccatis peracta, quæ nec respicere dignatur Dominus, nec recipere. Placent exterius, at interius, ærugo tineaque peccatorum deuastauit. Si ergo placentia vis Deo offerre munera, si accepta vis esse Misericordiæ opera, fuge peccatum, Superbiamque maximè, quæ opera bona solet comitari, quæ-

*Histor. erip.
Lib. 6, c. 29.*

*in vita S. B4.
fl.*

ri, quæque gratiam diuinam repellit à corde, & infinitorum aliorum peccatorum malitiam videtur contegere. Si gratia recesserit, iam non opera bona sunt, sed nihil. Gratia namque efficit vt opera Misericordiæ adeò sint diuinæ accepta maiestati, vt non iam hominis, sed dei videantur esse. Ipse siquidem agens est Principale, ipse siquidem, causa est fructus & valoris.

Ita vt si quis cum deo contendere velit, Misericordiæ proemium exigere; dicere possit Deus; & tu homo gratiæ tibi concessæ præmium mihi restitue, per quam factum est, vt opus tuum fructuosum euaderet. Hæc appositè dicta arbitror, vt pio viro & Misericordiæ superbiendi tollatur ansa, ne fortè dū vanā quæritat operis sui laudem, æternū & sine fine permansurū amittat proemiū. Vnicum namq; ad operis boni annihilationē sufficit peccatum. Si miles cataphractius, atq; à capite ad calces armatus, vnicum locum intectum reliquerit, & inde cuspidis ictum fatalem recipiat; nunquid in vanum reliqua arma sibi circumposuit? Sic in Ecclesia, miles Christianus licet sit omnibus pietatis operibus optime circumcinctus, si tamē vnico peccato
viam

*C. ser. lib. 12.
spec. exempl.
dist. 6. §. 93.*

viam præbuerit, morti se addicit, & inuallida, infructuosaque omnia opera facit. Nobilis quidam Ducis Bauariæ aulicus, cum noctu ex hac vita migrasset, tantum strepitum excitauit, vt terræ motum fieri quisq; arbitraretur. Apparet ille vxori, seq; damnationi æternæ addictum esse indicat. Miratur vxor, rationem quærens inquit: Qui fieri potest vt tu qui opera Misericordiæ toties exercuisti, sis æternis adiudicat^o supplicij. Ille verò flebili voce respōdit. Quia in his pietatis operibus laudem quæ siui humanam, quia superbiens, ea exercui, idēo perpetuis flammis cremandus sum. O stupendum atque mirabile exemplum! Is qui toto vitæ tempore Eleemosynis vacauerat, ob vnicam superbiam æternis adiudicatur ignibus.

*De fide ad
Petrum c. 39.*

Quid de Hæreticis, Schismaticis, Paganisque eloquar, qui voce impijssima, sine fide opera bona ad salutem sufficere dicunt? Augustinum audiant loquentem: *Firmissimè crede, & nullatenus dubites, quemlibet Hæreticum, siue Schismaticum, si Ecclesiæ catholicæ non fuerit aggregatus, quantascumque Eleemosynas fecerit, etiamsi pro Christi nomine sanguinem suum fuderit, nullatenus posse saluari.* Igitur ô amice lector, si tibi profutura

tura vis opera Misericordiae exercere, vide
 ut ea in gratia exerceas, vide ut à peccatis
 abstineas, quæ gratiæ obstant, & tunc effi-
 caciã in te senties bonorũ operum; Nam
 gratiæ suscipies augmētum, meritum vitæ
 æternæ tibi comparabis; diuinis satisfacies
 præceptis; *Date Eleemosynam*, denique ha-
 bitum ad meliora semper præstanda acqui-
 res; nam ut ait Philosophus *Habitus genera-
 tur ex actibus frequentatis.*

Luc. 2.

Lib. predi-
 cam.

CVI REI INSERVIAN
 MISERICORDI VIRO, PIE-
 TATIS OPERA IN MOR-
 tali peccato exercita.

CAPVT XLVII.

AVdire mihi videor vocẽ auribus me-
 is insonantem. Quid ergo proderunt
 opera peccatorum? si nihil prodest operan-
 ti opus bonũ in peccato mortali, ergo fru-
 stra exercet bona opera, qui se à statu gra-
 tiæ alienum esse cognoscit, sic cine ergo lu-
 dit operam peccator, bonis operibus insi-
 stendo? Solutionem audito.

Lude-

i seri
 pbia
 era

*Aliquando pro
bonis operibus
in peccato fa-
ctis dat Deus
bona tempora-
lia.*

Psal. 48.

*Lib. 5. de Ci-
uitat.*

Ludere operam, omniq; remuneratione cariturum eum qui extra gratiæ statû ea exercet opera dicere nolo. Fauet namq; Dominus tribuentib; & misericordib;, & quod futura æternitate dotare nõ potest, in terrenis opibus facit esse magnificos. Talis est remuneratio peccatorû, qualis est iumentorum. *Comparatus est* (inquit psalter) *iumentis insipientibus & similis factus est illis.* Qualis præcor est remuneratio iumentorum: post dici vnius laborem solum pro mercede recipit pabulû: Sic peccator post opus bonû licet infructuosum, terrena recipit, diuitias obtinet, ijs fruitur, at non in sempiternû. Ideo inquit D. Augustinus Deum Romanis pro pietatis remuneratione imperium tradidisse, vt eis satisfaceret in imperij magnificentia, quibus pro gestis operibus dare non poterat præmia sempiterna. Hæc sunt verba Augustini: *Quibus non erat Deus daturus vitam sempiternam cum Sanctis Angelis, hanc illis terrenam gloriam excellentissimi imperij concessit.* Nec mirum, nam vt axioma theologicum testatur, *Nullum bonum irremuneratum.* Ideo Dominus pecudum turmas multiplicauit Laban, eumq; potentem fecit in hoc sæculo, vt is qui pro operibus bonis æterna non poterat regna adi-

adipisci, saltem in terrenis gauderet multiplicari. Iustè sanè vereatur diues qui omnibus voluptatibus abundat in hoc Mundo, qui delicijs fruatur vniuersis, nè sibi illud Evangelicū dicatur: *Fili recordare qui accepisti bona in vita tua.* O infelices & infortunatos homines! quibus terrena dantur pro æternis. Deus in hac remuneratione tā iustorum quam peccatorum se habet ad instar mercatoris in nūdinis diuersas merces comparantis. Minutissimas quasq; merces & parui valoris subito soluit & extempore, at verò prætij magni, lapidū atque gemmarum prætiosarum solutionē, chyrographo obsignatam differt vsq; ad reditum. Sic Deus commercians nobiscū opera charitatis comparat solutionem datur⁹ in cœlo, at verò opera peccatorū quæ exigui vel nulli⁹ valoris sunt ex tēpore soluit, temporanea pro minutissimis operibus retribuēs proemia. Huiusce rei figuram aptissime in scriptura reperio. Abraham duos habuit filios; alterum ex ancilla, alterum ex libera; eum quem ex vxore legitima genuerat heredem constituit vniuersorum; ei verò quem ex ancilla susceperat dona dedit argenti & aliorum. Abraham Deum significat, Isaac filium Dei iustum scili-

Luc. 16.

*Inchino. lib.
de viis Coeli.*

i. se
n. p. d. a
vera

scilicet cuius opera in charitate facta sunt propter quæ hæredem eum facit vniuersorum: Ismael verò qui peccatoris typum gerit, argenti vel auri hoc est tēporaneo præmio contentus est. Silendum non est quod non à paucis Patribus refertur.

In vit. Pat.

*Hilaret. in
quadrag.*

Spe. exemp.

Anachoretæ cuidam in Hæremi penetralibus victitanti pius quidam Ciuis vrbe Nicopoleos quotidianam afferre solebat annonam. In eadem autem vrbe diues quidam impius & crudelis erat quem die quadam mori misere contigit. Hunc cum ad sepulchrum honorificè deduci vidisset ciuis ille misericors, solitum laturus ædulum pergebat ad syluam. Vbi cum corpus Hæremitæ à færis depastum inuenisset obstupefactus tacitè huius rei causam inquirebat. Mirabatur quomodo qui lubricè semper vixerat honorifico dignus fuerat sepulchro, & quomodo is qui vitam cœlibem duxerat fœrarum factus esset ædulum. Hæc eo ita cōgitante, venit Angelus qui vtriusque mortui finem panderet. Ne mireris inquit; nam quia diues ille bona quædam gesserat opera, ideò Dominus honorem illum corpori concessit, veruntamè damnatus est; hic verò qui in ieiunijs vixit, quia peccatum aliquod veniale perpetrat,

rat, tali fuit dignus morte, vt sic purgatus æterna reciperet proemia. Igitur valent quandoque opera Misericordiæ in peccato mortali peracta ad temporalium bonorum consecutionem vel multiplicationem.

2. Opera Misericordiæ in peccato vel extra gratiæ statum facta otietatem fugant omnium peccatorum genitricem. Nam dū dæmon videt hominem licet peccatorem pietatis addictum operibus, non ita facile aggreditur, sed magis fugit ab eo. Sicut enim olle bullienti muscæ non insident, sic nec hominem pijs implicatum operibus, tentationes aggrediuntur.

3. Cum extra gratiæ statum fueris, si opera pietatis exerceas, si charitatis insistas officijs, procliuem magis in charitatem, & ad opera Misericordiæ exercenda post reconciliationem inclinatum te inuenies.

4. Opera charitatis in peccato mortali facta temporaneam quandoq; pœnam repellunt, & Iustitiæ diuinæ rigorem temperant, vt ex plerisque sacre scripturæ exemplis colligere possumus. Zenon Imperator die quadam virginem dehonestat virginittatis ab ea florem auferens. Cuius mater cum sæpè Virginem deiparam pro vindicta deprecaretur, matris Christi vocem audiuit

*Opera charitatis
in peccato
mort: impediunt
otietatem.*

*Sophron. prat.
Spir. c. 17.*

N

diuit

diuit sibi dicentem: Sepè te de Zenone Imperatore vindicare volui, sæpè vindictam præcibus tuis commota requisissem, verum man^o Zenonis (hoc est bona opera & Eleemosynæ quas facit) semper impediuerunt. Ideò etiam Eleemosyna comparatur vnguento quo se inungere solebant antiqui luctatores. Nam sicut, inimicorum manus effugiebant, inuncti, sic Misericordes plerumq; vindictam effugiunt diuini iudicij.

5. Profunt bona & pia Misericordiæ opera, vt Angelus Custos nobiscū maneat, qui sæpè post peccatum à nobis nulla data mora recederet.

*Canis. tract. de
Eleemos.*

6. Adiuuant nos, & muniunt contra aduersariorum insultus, qui circumeunt quærentes occasionem ruinæ & perditionis. Sapientem audiamus dicentem: *Super scutum potentis, & super lanceam aduersus inimicum tuum pugnabit.*

Eccles. 29.

7. Minuunt opera charitatis in peccato vel extragratia statum facta pœnam æternæ damnationis, vt benè testatur Augustinus, inquit: *tale bonum facit quis, vt tolerabilior fiat eius damnatio.*

in Enchirid.

Quod confirmat D. Bernardinus excellenti similitudine. Sicut enim Cancer carnes corrodit infectas, & circumuicina que

que vastat & inficit, apposita autem carne pulli gallinacei, vel vituli vel alterius cuiuspiam animalis quiescit & mitigatur: Ita opera Misericordiae peccatorum corporibus vel vulneribus applicata dolorem mitigant infernalem.

8. Opera Misericordiae disponunt & preparant hominem ad gratiae coelestis receptionem. Ideoque plerique Patres hanc Salvatoris sententiam: *Quod superest date Eleemosynam, & omnia munda sunt vobis*, exponentes, dicunt Salvatorem Eleemosynam commendasse tanquam eam quae ad gratiae divinae acquisitionem preparatoria fit. Id non obscurum est in Cornelio quod propter Eleemosynas fidelium numero meruit adscribi. Cassiodorus meminit hominis cuiusdam impudici & luxuriosi, aliis satis pietatis operibus addicti. Hunc cum a peccatis retrahere vellet Dominus, per Angelum in habitu peregrini visitavit. Is charitatiue ut consueverat peregrinum recipit hospitio, lauat pedes, extergit manus, caput inungit. Quod cum inungeret videt oculum in medio capitis, causam huiusce rei exquirat. Respondet Angelus: Hoc oculo tua scelera quotidiana intuetur Deus fornicationes & adulteria respicit, sed etiam pietatis tuae opera eodem intuetur. Respice igitur ne perire velis. Lamentatur ille;

N 2 & po.

LHC. 2.

Act. 10.

& pœnitentiam agēs veniam suorum confequitur delictorū. Videte in quo profint charitatis officia. Aliud admirabilius exemplum subiungam. Nobilis quædam puella utroque orbata parente dum in viridario sola deambulet, videns hominem suspēdio iam proximū, ad eum properat, & causam tantæ desperationis ab eo sciscitatur. Respondet ille, ære sum constrictus alieno, & creditores diebus singulis etiam quæ nec habeo nec habere valeo extorquere nituntur: gratior igitur mihi erit vna mors, quam toties repetiti dolores. His auditis, illa omnia bona sua illi tradit vt creditoribus satisfaciat. Factum est autem vt illa in maximam incideret indigentiam, adeo vt victum sibi se prollituendo comparere cogeretur. Post modicum tempus lapsa in infirmitatem cum sacri baptismatis vnda lauari expeteret, nullusque suscipere eam vellet, apparuit Angelus in figura hominis quem à suspēdio liberauerat; qui desolationis causam requirens, cum ea referente intellexisset ideo eam cruciari quia susceptorem non haberet in baptisate, subito respōdit. Confortare, nam extemplo duos tibi adducam susceptores. Conuocat alios duos Angelos qui nobilium Imperatoris faci.

*Ioan. Mosc.
in prat. spirit.
c. 207.*

faciem referentes puellam baptizandam ad templum perducunt. Baptizatur illa spondentibus susceptoribus, reducitur domum candida veste circumamicta, hæret in lecto infirma quemadmodum antea. Inuisunt eam vicini atque vestis candidæ occasione requirunt. Narrat illa vniuersa quæ circa se gesta erant. Refertur res ad Episcopum, conuocantur nobiles illi, quorum figuram gesserant Angeli, rogantur num illius puellæ fuerint susceptores. Ignorare se rem omnem dicunt. Miratur Episcopus filiam interrogat si fortè aliquod pietatis vel Misericordiæ opus exhibuisset. Rem narrat quæ sibi in iuuentute contigerat, moxque vt ea narrauit animam Deo reddidit. Tunc Episcopus diuinæ Misericordiæ atque retributionis excellentiam prædicans exclamauit: *Iustus es Domine & rectum Iudicium* Psal. 118. *tuum*. Intelligitis quoniam prima Misericordiæ opera quæ extra fidem existens fecerat, salutis causa fuerunt. Non quod Eleemosynam velim baptismo æqui parare, nam hoc falsum & absurdum est, sed præparamentum esse dico ad gratiæ diuinæ impetrationem.

9. Si hæc opera Misericordiæ in peccato mortali facta non profunt viuuis, præderunt

N 3 tamen

tamen mortuis prout Deo visum fuerit expediens. Proderunt inquam proximis parentibus. Nam sicut terrena bona diuoluuntur ad amicos proximos si sine legatione obierit: ita etiam si is qui bona opera exercuit ijs non fruatur, tamen nō omnino perdita sunt sed fructus eorū parentibus in gratia existentibus dabitur. Ad huius sententiæ confirmationem facit illud q̄ Christus inquit: *Qui habet, dabitur ei, & abundabit, & omni habenti dabitur & abundabit.* id est, qui habet gratiam Dei, dabitur & fructus operum bonorū alterius qui sine gratia ea exercuit. *Qui autem non habet* (supple gratiam Dei) *etiam & quod habet auferetur ab eo,* hoc est meritū boni operis. Maronius censet hæc opera distribui à Deo animabus in Purgatorio existentib⁹, secundum cuiusque merita. Et probat similitudine. Sicut inquit exulum bona fiscis tribui consueuerunt: ita peccatorū opera dispergit Deus & dat animabus defunctorum.

10. Opera Misericordiæ quæ in statu gratiæ facta fuerant, si per labem peccati mortalis mortificata fuerint, post pœnitentiam & reconciliationem vigorem pristinum recipiunt, iuxta illud:

Sapè reuiuiscunt quæ mortificata fuerunt.
Verbi

Matth. 15.
Luc. 19.

Verbi causa, si multa Misericordiæ opera exercueris, & postea in adulterium vel furtum aut in superbiam labaris mortificantur illa opera, cum autem per pœnitentiam culpam dilueris tunc reuiuiscunt & per pœnitentiæ asperionem pristinam recipiunt virtutem. Hęc solutio verissima est Attamen hic quæritur inter Theologos.

VTRVM OPVS MISE-
RICORDIÆ FACTVM IN
PECCATO MORTALI, PER
pœnitentiam subsequenter possit
uiuificari, & esse vitæ æternæ
meritorium.

CAPVT XLVIII.

OMnium pœnè scholasticorum hac in re placet sententiã dicentiũ, hęc opera in mortali peccato facta, nullatenus vitã promereri sempiternã. Quam etiam ex varijs scripturæ locis probare possem: sufficit locum vnus. *Dona impiorum non probat Eccles. 34. altissimus.* Cui etiam consonat illud. *Non reuiuiscunt que mortuata fuere.*

Attamen quoniam sententia contraria

N 4 satis

fatis probabilis hanc, huic capitulo inferam, veruntamen sequi non consulo, sed Doctos ac eruditos, hæc verba perlegentes precor vt quæstionem hanc quam sub dubio relinquo, & in vtramque partem agitablem, sedulo examinent. Iacobus de valentia Episcopus Christopolitanus, tenet opera Misericordiae in peccato mortali facta, post pœnitentiam, esse vitæ aternæ meritoria. Citat autem Augustini verba: *Pium est credere & nostra fides hoc expostulat, vt cū Deus destruxerit mala priora, etiam remuneret bona quæ in peccante plantauit.* Secundo vt melius opinionem suam tueatur, negat opera peccatoris esse mortua, siquidem pro principio habuerunt præuenientem gratiam & disponentem, quæ sunt principia ad gratiam gratum facientem. Quod si obijcias: Hæc opera esse facta ab homine mortuo per peccata, ergò esse mortua. Respondet sophisticum esse exemplum, ac huic simile. Domus hæc à cæno ædificata est, ergò & alba est. Nam sentit peccatum esse accidens adueniens homini bona opera exercenti. Instat insuper. Etsi peccator careat vita gratum faciente, tamen viuit gratia præueniente quæ incitatrix est ad illa bona opera exercenda. Verba autem Pauli nihili faci-

*in Psal. 50. in
3. expos. sub
finem.*

*Lib. de Penit.
d. 3.*


1. Corinth. 13.

facientis opus sine charitate ; exponenda dicit, eo tempore quo homo perseverat in peccato. Affert etiam quorundam sententiam dicentium opera illa bona (quale est Eleemosyna) quæ opus post se relinquunt etiam in peccato mortali exercita viuificari, *non quoad essentiam & secundum se, sed quoad remunerationem.*

Denique hanc adfert Conclusionem. *Iustificatus per pœnitentiã, potest mereri augmentum gloria, per bona opera quæ fecit dum erat in peccato, & hoc per nouam oblationem in virtute nouæ gratiæ.* Huius autem rei rationem affert. Quicquid iustus offert Deo, hoc illi acceptum est ad meritum gloriæ, sed homo iustificatus per pœnitentiã Deo acceptus est, ergo opera quæ in peccato fecit ei accepta sunt, quia offert.

Dico ego hominem propter opus Misericordiæ quod fecit in peccato mortali non mereri vitam æternam, sed propter nouum actum, quo iam placens Deo rogat ea esse accepta quæ in peccato existens exercuit. Denique in suæ sententiæ approbationem præstantissimam affert comparisonem. Sicuti inquit aulicus propter delictum omnibus Principis fauoribus destitutus, si exilij tempore Principis bona mul-

tiplicet, familiae substantiam augeat, inimicos repellat &c. horum omnium operum post reconciliationem remunerationem recipit. ita peccator, post delictorum expiationem omnium bonorum operum quae in peccatis existens fecerat recipit retributionem. His ita positis, scholasticis discriptandū relinquo. Omnes tamen vos rogo; ut omni tempore munificos vos erga pauperes exhibeatis. Licet enim vobis non profint opera in peccatis facta ad meritum gloriae, proderunt tamen ad susceptionem gratiae, proderunt ad temporalium bonorum multiplicationem; proderunt ad supplicij mitigationem, proderunt denique ad flammaram purgatorij euasionem.



QVOD SEXVI ETIAM
FOEMINEO CONVENIANT
VERBA SALVATORIS, BEA-
ti Misericordes.

CAPVT XLIX.

QVonia in varijs scripturae ac Patrum
locis reperio non solum homines, sed
& mu.

mulieres charitis operibus insudantes iniquum arbitratus esse, hanc Domini sententiam solis viris accommodare. Nec probatione indiget, quod luce clarius à Sanctis Patribus demonstratur. Exempla tam veteris testamenti quam noui ordine referamus, ut ijs stimuletur, mulieres sanctitatis vestigia sequantur, & pietatis nunquam insignia deserant. Miror dumtaxat charitatem fidelis Rebeccæ cum Procopio Gazæo, qui non minorem fuisse charitatem Abraham testatur. Nam incognitum seruū Abrahami non solum sustentauit & refecit, potum tribuens, sed etiam eum induxit in Domū Patris & omnibus charitatis officijs honestauit.

*In cap. 18.
Genes.*

Mirabilis est charitas S. Catharinæ Senensis quæ infirmitate languens cum corpus vix mouere valeret, cognita tamen viduæ cuiusdā ægestate, supra vires naturæ con surgens, saccum frumento repletū, amphoram vini, oleiq; & alia victualia detulit viduæ non sine singulari miraculo. Altera quadam die cum nihil quod pauperi largiretur haberet, crucem argenteam rosario appensam dedit pauperi. Mirabilis etiā est Sanctæ Albegondis pietas, quæ tantā pauperū curam gerebat, ut eorū vlcera manib. cōtrectaret, leproforum corpora lauaret, scabiem à corpori-

*Raymundus
de capua in
Vit.*

*S. Antonin.
3. p. instit. tit.
B. c. 14. §. 11.*

Seri
ordia
terra

poribus extegerit, & his similia in pauperes exerceret.

*Surius tom. 7.
Aprilis 14.
vel lib. 2. c. 4.*

Admiranda est charitatis excellentia in Sancta Luduina, quæ cum pauperibus quod daret non habebat, cor suum sagittis confixum & transfuerberatū manifeste demonstrabat, Mendicabat ipsa, vt, mendicorum subueniret infirmitati. Fratris sui indigentiam ære alieno constricti subleuare volens hæreditatis propriæ partem vendidit, cuius prætium cum in crumena quadam reposuisset, post expositos nummos plurimos in fratris liberatione, eundem inuenit numerum thesauri. Vnde postea crumenam illam, marsupium Christi, iubens appellari, largiores pauperibus inde præstabat Eleemosynas, quas sedulò semper Christus sua benignitate supplebat. Hæc in visione quadam Eleemosynas omnes in cælo vidit numerari, sibiq; pro vasis fictilibus, aureas pateras restitui, & pro aquæ ciphæ vinum optimum rependi.

Sancta Elizabeth per antonomasiam pauperum mater dicta filia Andreæ Regis Hungariæ Ordinis S. Francisci, feruore charitatis adeò inardescibat, vt manibus proprijs languentium corpora cõtrectaret inferuaret egrotis, maximeque mulieribus
præ-

prægnantibus quibus maxima cum humilitate inferuiebat. Anno Domini 1225. cum fames per vniuersam terram grassaretur, ipsa in mariti sui absentia omnem pauperibus distribuit annonam, cellaria euacuauit, nec his contēta Domum ædificauit, in qua pauperes viginti quinque quotidie sustentabat. Tantaque ferebatur in pauperes Misericordia vt omnem in Eleemosynis consumeret substantiam. Qua re permoti Oeconomi & dispensatores, eam prodigalitate apud virum accusant. Qui sapienter & magnanimè respondit. Sinite, opera exerceat Misericordiæ prout vult, nam quanto tempore pijs intenta erit operibus, nõ poterit ægestas domibus nostris appropinquare. De ea sanè illud Sapientis dici potest: *Manum suam aperuit inopi & palmas suas extendit ad pauperem. Manum suam posuit ad fortia & digiti eius apprahenderunt fusum. Que fuit lanam & linum, & operata est manibus suis.* Nam manibus proprijs lacera, & vetustate trita pauperum vestimenta refarciebat.

Placida vxor Theodosij Imperatoris reprehensa à nobilib⁹ quibusdam quod pauperibus proprijs manibus inferuieret respondit: Imperatoris est aurum & argētum mihi vxor-

Prover. 31.

*Theod. lib.
5. histor.
Eccles. c. 8.*

hi vxori suæ distribuere, vt ego de eodisponens regni successiones amplificem, & ei qui nobis impertijt gubernationem, iustam imperij reddamus rationem.

Quid de Paulæ viduæ Romanæ nobilisque Matronæ pietate loquar? Hæc non solum omnem in Eleemosynis consumpsit substantiam sed & filios exuebat vt pauperum corpora contegeret. Vnde repræhensa dicebat. Maiorem eis relinquo hereditatem; Misericordiam Dei. Diuites autem si obuios habebat hortabatur voce Saluatoris: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cum defeceritis recipiant vos in aeterna tabernacula.*

Luc. 6.

Hom: 29. in
Euang.

Repræhensa autem q̄ apud diuites pro pauperibus mendicaret illud Greg. aptissime respondebat: *Qui habet locum apud diuitem, damnationem pro retento talento timet; si cum valeat, non apud eum pro pauperibus intercedat.* Sæpe pauperibus benefacere volens argentum hinc inde commodabat, sicque se ære alieno constringebat, vt alterius paupertatem subleuaret. Fateor inquit D. Hieronim^o culpam, quia mihi plerumque de nimia liberalitate repræhendenti, respondit illud saluatoris: *Qui duas habet tunicas det vnã non habenti.* Insuper, spectabat


Luc. 3.

Et abbat ne fortè sibi quod voluntarie & libè-
 ter faciebat, postea exercendi occasio tol-
 leretur. Ego inquit Hieron: familiæ curam
 habens tenacior illa fui, at ipsa, feruidior in
 charitatis incendio, pauperè se sequi pos-
 se Christum lætabatur. Sæpeque illud in se
 Dominicū dicebat: *Beati Misericordes quo-* Matth. 5.
niam ipsi Misericordiam consequentur. Item Eccles. 3. c. 4.
 illud Sapientis: *Sicut aqua ignem extinguit;*
sic Eleemosyna peccatū. Item illud Danielis:
Peccata tua Eleemosynis redime. Infinita a-
 lia exempla passim occurrentia omitto alio
 citanda loco. Attamen possem his Miseri-
 cordibus mulieribus adiungere moniales
 Deo deuotas. quæ p amore Christi, non so-
 lum sua pauperibus distribuunt, sed & pro-
 priâ abnegant voluntatē; q̄ inquam vnica
 vice omnia reliquerunt & pauperib⁹ dede-
 runt, quæ alternatis vicib⁹ contempserunt,
 Ideoque cæteris perfectiores sunt. Testis
 mihi est D. Hieron: scribens contra vigilā-
 tium Hæreticū. Dicit quia melius est perfe-
 ctiusq; sua per partes distribuere quam se-
 mel, simulque omnia dare, nō ego te men-
 dacij redarguā, sed Christus filius Dei qui
 ait: *Si vis perfectus esse, vade vende omnia* Matth. 19.
que possides, & da pauperibus.
 Ideò beati fuerunt qui Apostolis indigē-
 tibus

S. S. S.
 S. S. S.
 S. S. S.

3. Reg. 19.

tibus de sua substantia, ictum tribuerunt, at longè fœliciores qui omnia simul dederunt. Hoc in Eliseo figuratum optimè fuit, qui boues omnes in substantiam pauperum conuertit, vt omnibus bonis expoliatus, facilius Prophetas Dei sequeretur. At verò dicet aliquis, si semel simulque omnia dederimus, vnde postea pauperes nutriuntur? Non est quod verearis, prouidebit Deus, nec famelicos deseret, qui etiam volucris cœli quotidianam præparat annonam. Hæc in mulierum fauorem dicta sint, quæ operibus charitatis insistant.



QVOD II MALEDICTI
SINT QUI OPERA CHARL-
TATIS EXERCERE
negligunt.

CAPVT L.

SI beati sunt Misericordes propter opera Misericordiæ, quid ni infœlices & maledicti dicantur, ij qui Misericordiæ opera contemnentes pauperibus denegant necessaria? Argumentum validum est; al-

oppo-

oppositis. Salomon testimoniū huic rei perhibet: *Qui obturat aurem suam ad clamorem* Proverb. 21.

pauperis, & ipse clamabit & non exaudietur.

Neque enim promereri Misericordiam

Domini poterit, qui Misericors ipse non

fuerit; neque impetrabit de diuina Misericordia

aliquid in precibus, qui ad precem

pauperis non fuerit humanus. Iob clamans

ad Dominum de sterquilinio exauditus fu- Cap. 29.

it, quia voces pauperum exaudierat, eis tri-

buens necessaria, non verò blandis satians

verbis. Sunt quippe aliqui; qui pauperibus

dicunt: Prouideat tibi Deus, at operis boni

in eos nihil conferunt, nec satiant eum ver-

bis, quem vident præ egestate mendicare

in ostijs. Diuus Gregorius inquit: *Egentis* p. 2. Pastoral. cap. 7.

mentem sermo predicantis nō penetrat, quam

Misericordia eius non rigat. Clamauit in in-

ferno positus Diues epulo, guttam aquæ

postulauit, quæ ei denegata est, quare? quia

dum Lazarus in foribus domus suæ clama- Luc. 16.

ret, obturauit aures suas, & ideo *clamabit &*

non exaudietur. Maledictus ergò erit & in-

felix qui cum potuit pauperibus non sub-

uenit, qui cum potuit, diuitijs suis eorum

indigentiam non subleuauit. Maledictus

inquam qui in crudelitate tygridem supe-

rans, pauperem famelicum non paut, non

○ pascen-

Seri-
tudia
era

pascendo interfecit, maledictus ergò, qui pauperi domus suæ ianuas non aperuit, nam Dominus regni cœlestis valuas occludet, & ostia firmabit; maledictus deniq; qui pauperem iniurijs conuicijs & opprobrijs onerat, cum petitioni pauperû satisfacere debuerat. D. Ioannes Chryostomus eorû increpans feritatem inquit: *Accedit ad te Dominus indigens, tu ne supplicantem quidem audire poteris, sed accusas & increpas.* Maledictus sanè erit is qui pauperes odio habet, hunc enim protector pauperum Dominus detestabitur & despiciet. Vir quidam probæ satis vitæ crudelis tamen in pauperes, eorum clamores, & voces audire non poterat. Ideoque domum & conclave elongatum à foribus sibi fieri curauit vt sic clamorû molestiam euaderet. Morbo graui percussus cû animâ efflasset, delato eo ad templû, exequias debito modo acturus aduenit Episcopus. Mirabile dictu! cum celebrans intonat *Dominus vobiscû*; visa est imago crucifixi ambabus manib⁹ aures obturare. Inquirat Episcopus de vita defuncti, eiusque audiens in pauperes sæuitiam, damnatum eum esse intellexit.

Conferamus igitur homines huiusmodi aspidi. De ijs namq; loquens psaltes Regius inquit:

Hom: 67. in Ioann.

Ioan. diuem gener. Hispan. in spec. crist. c. 1.

A. D. Auroult. in catechif. historiar.

inquit: *Furor illorum in similitudinem aspidis psal. 57*
surda & obturantis aures suas. Coruscet ful-
gura, tonitrua voluantur per aera, petra non
mouebitur: sic clament pauperes, indigen-
tiam praedicent, indurati diuites parum vel
nihil omnino curabunt. Vnde Dominus per
Prophetam Ieremiam avari cuiusdam te-
nacitatem redarguens dicebat: Dixisti non
audiam. Haec est via tua ab adolescentia tua,
quia non audisti vocem meam. Et ideo ma-
ledictus eris, quia clamorem pauperum ex-
audiet Dominus, teste Dauide qui ait: Desi-
derium pauperum exaudiuit Dominus, prepa-
rationem cordis eorum audiet auris tua. Si
maledictionis tuae causam inquiris audi Iac-
obum Apostolum loquentem: Iudicium cap. 2.
sine misericordia illi, qui non fecit Misericor-
diam. Et factum est verbum Domini ad Zacha-
riam dicens: Haec ait Dominus exercituum. zachari. c. 7.
Iudicium verum iudicate & Misericordiam
& miserationes facite vnusquisque cum fratre
suo. Et noluerunt attendere, & auerterunt
scapulam recedentes & aures suas aggrauaue-
runt ne audirent, & cor suum posuerunt ut a-
damantem ne audirent legem & verba qua
misit Dominus exercituum, in spiritu suo
sancto per manum Prophetarum priorum; &
facta est indignatio magna a Domino ex-
erci-

exercituum. Et factum est sicut locutus sum, & non audierunt: sic clamabunt & non exaudiam dicit Dominus exercituum.

Claret in super eorum maledictio, ex infœlici eorum interitu, prout in exemplo sequenti videre est.

Hatto, diues erat, epuloni in nequitia nō dissimilis. Hic tēpore famis pauperes omnes congregans in horreum comburi iussit dicens inutilia esse terræ pondera, & tantum fruges consumere natos. Sed tantam membris suis fieri iniuriam non pertulit. Immisit namque Deus in eum murium & glirium multitudinem copiosam qui non modò vniuersam vastarent & corroderent substantiam, sed & corpus ipsum afficerent supplicio. Ille euadere volens tanti supplicij crudelitātē, sibi Domum in medio maris construxit. At nec ibi securus fuit. Nam mures & glires illuc adnatantes eum deuorauerunt, sicque miser qui Misericors non fuerat à feris & bestijs ipse plus quam animal brutum deuoratus est. Dracula vir impijssimus pauperes ad prandium inuitatos & refocillatos, pariter dedit incendio. Ioannes Fabri Dominicanus refert Consiliū quendam quia pauperes pediculosos appellarat, à pediculis fuisse comestum, sicque

que misere interiisse. Omnibus pœnè notus est interitus infœlix, crudelis istius Nabal, qui propter crudelitatem qua erga Dauidem vsus fuerat à Domino morte subitanea percussus fuit. Ecce infœlicem crudelium exitum, qui non solum pauperibus necessaria denegant, sed etiam de confinijis suis expellunt, quemadmodum conqueritur Isidorus: *Plerumque potentes tanta impietatis rabie inflammantur, ut de confinijis suis pauperes excludant, nec habitare permittant.* De his loquebatur Sapiens his verbis: *viscera impiorum crudelia.* Proh dolor! quot erunt in futuro sæculo calamitosi & infœlices, ob inhumanitatis vitium, ob auaritiam & crudelitatem, qua hic torquebantur. Ah quot erunt quibus Dominus illud Evangelicum improperabit! *Vae vobis qui decimatis mētā & Anethum, & reliquistis gratia* Matth. 23. *uora legis, Misericordiam & Iudiciū.* Quod erunt in quos hæc sententia fulminabitur: *Item maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo & Angelis eius: Esuriui enim & non dedistis mihi manducare, sitiui & non dedistis mihi bibere, hospes eram & non collegistis me, nudus eram & non operuistis me, infirmus, & in carcere eram, & non visitastis me.* Verum si hi quia Misericordiam operati

rati non sunt damnentur ; quid fiet his qui non modò sua non dant , sed aliena diripiunt, viduas & pupillos torquent , vt eorum bonis gaudeant ; qui multos suis litibus ad paupertatis metam deduxerunt ? Grauius sanè multò punientur. Tuncq; charitatem propriam mirabuntur , cum pro diuitijs & vana crudelitate ignibus æternis viderint se adiudicatos. Quid fiet his qui nolètes pauperibus subuenire , eos verbis indecentibus , & mille laceſſunt iniurijs , infinitis ſatiant opprobrijs ? Eos non ſolum Dominus in hac vita redarguet , ſed & in futuro ſæculo grauius torquebit. Paupertatis amator , & indiuiduus eiufdem comes, Seraphicus Pater Franciſcus Fratri cuidam , qui grauius pauperi reſponderat per Sanctam Obedientiam præcepit vt nudus à paupere veniam deprecaretur : Dicebatque ; Frater chariſſime dum pauperem inſpicias , Chriſtum eiufque Matrem videre te cogita , qui pro nobis in hoc mundo pauperes facti ſunt. Idem omnibus vobis conſulo faciendum , & vt poſſitis cœleſtem adipiſci glori-

1. Pet. 2.

am , ſatagite vt per bona opera certam faciatis vocationem veſtram.

QVAN

QUANTA SIT DIVI-
 TVM STVLTITIA NOLEN-
 TIVM PAVPERIBVS DARE,
 cum nihil secum in morte la-
 turi sint.

CAPVT LI.

CVM ea quæ pauperibus in hoc mundo
 largimur adeo sedulò afferentur in
 cœlis, multorum miror insipientiam, qui
 thesaurum abscondentes nè quidem in mi-
 nimo pauperibus subuenire volunt. Atta-
 men Dominus eos ad opus tam salubre
 sanctumque exhortatur, dicens: Nolite
 thesaurizare vobis thesauros in terra vbi æ-
 rugo & tinea demolitur, & vbi fures ef-
 fodiunt & furantur: thesaurizate autem *Math. 6.*
 vobis thesauros in cœlo, vbi neque æru-
 go neque tinea demolitur, & vbi fures
 non effodiunt neque furantur. Si quis-
 que thesaurum suum deferre exoptat;
 quidni thesaurum in patriam ferre diues
 gestiatur? Ibi tuam mitte substantiam, vbi
 tuam habes Patriam. Patria tua; cœlum
 est.

est. Insiens profectò ille crederetur qui cum tutò per iter aliud in patriam suã mittere posset thesaurũ; deferre ipsemet vellet, mille p̄donum periculis expositus: Sic etiam fatuus censendus est, qui cum possit substantiam per bona opera quę in hoc saculo faceret, recipere in cœlo; mortis sese exponit & spoliationis indubitatae periculo. Sic sapienter fidelis Ecclesiastici thesauri dispensator D. Laurentius, Decio se thesauros Ecclesię distribuisse referebat. Facultates inquit quas requiris, in cœlestes thesauros, manus pauperum deportauerunt. Mercator longinquum peracturus iter, litteras cambij accipit, quibus pecuniam sibi necessariam in aliena patria recipiat. Tu similiter qui thesaurum tutè recipere exoptas, litteras cambij expostula, subministrabunt pauperes, nam pro pecunia recepta, testimoniales tibi litteras, quibus creditam recipias à Deo pecunia dabant. Neque est quod damnum verearis, immò si pauxillum dederis, centuplum recipies. Quę igitur hominis est insipientia nolentis thesauros tantos cumulare. Verè cecinit Poëta. *Quid non mortalia pectora cogis auri sacra fames? Quę insipientia hominis arbitrantis sua secum ferrè posse:*
Falli-

Ænerd. 3.

Fallitur quisquis is est, & spe vana luditur,
 Frequentia sunt sacræ scripturæ testimo-
 nia. *Diues cum dormierit nihil secum auferet; Job. 27.*
aperiet oculos suos & nihil inueniet. Et alibi:
Dormierunt somnum suum, & nihil inuene- Psal. 75.
runt viri diuitiarum in manibus suis. Græcus
 autem Poëta dicebat: *Non licet in inferno*
diuitias possidere, & nummos afferre. Quod
 etiam excellentissima comparatione ma-
 gis elucidabitur. Si ad prandium Regis, in-
 uitatus & opiparè saturatus; Regium cy-
 phum qui tibi ad vsum datus fuerat aufer-
 re velles, nonne in te Oeconomus insurge-
 ret, eumque extrahens è manibus tuis car-
 cere te manciparet? Ita fiet homini volenti
 thesaurum sibi à Domino ad vsum con-
 creditum, secum deferre. Mors enim rapiet
 illum è manibus eius, & propter iniustiti-
 am æternis adiudicabit ignib⁹. *Nudus nam-* Job. 1.
que egressus es de ventre Matris tuæ, &
nudus reuerteris illuc. Similitudinem se-
 cundam quoniam grata est adijciam. Pueri
 fructuum nouorum amatores, postquam
 in hortum substrato lapide introierunt, in-
 ter se disputant quisnam eorum plus fru-
 ctuum inde laturus sit. Grandæuiore scan-
 dunt arbores ibique poma colligentes, mi-
 noribus inferius stantibus & rogantibus
 dare

dare differunt. Superuenit plerumq; eiusdem horti Dominus & egregie exceptos & fructibus vacuos, & vestimentis spoliatos cogit exire. Tunc flent, & lachrymantur vt sua saltem vestimenta recipiant. Ita fit homini diuiti nec vni solum sed omnibus. Ij namque hortum deliciarum, viridariu diuitiarum introeunt inter se querunt, quis eorum diuitijs magis abundabit. Colligunt per fas & nefas; at verò collectas dissipat mors horti illi^o Domina, atq; egregie verberatos cogit exire. Lamentantur insipientiam suam, & pro vano fructu, pro diuitiarum vanitate se damnatos esse dolent.

Eccles. 41.

mors quam amara est memoria tua, homini pacem habenti in substantijs!

Similitudinem ipsius Domini afferam, vt Veritas veritati testimonium perhibeat. *Hominis (inquit) cuiusdam diuitis vberes fructus ager attulit, & cogitabat intra se dicens: Quid faciam quia non habeo quò congregem fructus meos? Et dixit: hoc faciam: destruam horrea mea, & maiora faciam, & illuc congregabo omnia quae nata sunt mihi, & bona mea & dicam aīa mea: Anima, habes multa bona posita in annos multos, requiesce, comede, bibe, epulare. Dixit autem illi Deus: stulte, hac nocte animam tuam repetūt à te; quae autem parasti*

raſti cuius erunt? Sic eſt qui ſibi theſaurizat,
& non eſt in Deum dives. Proh dolor! quot
 hodie in Mundo reperiuntur huic ſimi-
 les, qui auri & argenti talenta conſideran-
 tes, ſubſtantiaꝝ atque bonorum agregatio-
 nem computantes in eis omnem ſuam col-
 locant ſpem, ac ſi Deũ carceribus & vincu-
 lis conſtrictum & alligatum tenerent. Re-
 ctè ſanè fatuum illum hominem appellat
 Euangelista, & ego rectè inſipientes huic
 ſimiles dixero. Congregat auarus & con-
 gerit meſſes in horrea, vino replet cella-
 ria, & per multos annos conſeruat, donec
 ſterilitas, donec fames premat patriam: Et
 quid hoc? An fortè vt perplexos in inæ-
 dia ſuſtentet pauperes? An vt orphanis
 & viduis ſuccurrat? Abſit. Verum vana
 eſt ſpes illius. Dum enim ducit in bo-
 nis dies ſuos, mors aduenit, & in puncto ad
 inferna deſcendit. Priuatur ſubſtantia, de-
 lectabili ſpoliatur vita; & quæ pauperib⁹ in
 vita noluerat diſtribuere, hæc in morte co-
 gitur contemnere. Deniq; ſimilis eſt galli-
 næ, q̄ cōgregat oua ſua, & in eo ponit loco,
 vnde dieb⁹ ſingulis auferētur. Verũ conſq;
 quorundã ſeſe extendit inſipiētia, vt appro-
 pinquante mortis hora, vel theſauros mil-
 lies

Ser-
 uat
 eia

lies computatos, deoscularentur, vel eos potagio commixtos vorarent. Nobilissimi autem videntes sua secum ferre non posse, ædificant, & extruunt sepulchra marmorea, ænea, eburnea, vt etiam homini mortuo, auaritiæ perhibeant testimonium. Alij qui in exercitu duces strenui fuere, insignia per terram vehunt, missarum atq; psal-morum officia requirunt, pyramides arcu-que triumphales erigunt, accincti gladijs atque cataphracti sepeliri volunt, quasi verò vi, non virtute cælum sint adepturi. Interim ne forte tantæ solemnitati funeris desit thesaurus, etiam nummum pauperi roganti recusant. *ô mores! ô tempora!* Alij thesaurum suum indusijs assumentes sic sepeliri voluerunt; verum mors expoliatos nudos & omnibus istis spoliatos ad Acherontis misit campos, famem, sitimque perpetuam perpeffuros, vt auaro cuidam fuerat ab oraculo denunciatum. *Haud vllas portabis opes Acherontis ad vndas, nudis ad infernas stulte vehere rates.* Et Ouidius inquit: *Diuitis ad manes nil feret umbra suos.*

Prob. lib. vlt.

Trist. vlt.

QVOD



QVOD ETIAM AVARI
PROPRIO AVRO ATQVE

ARGENTO ET IN MEDIIS
delicijs in inferno torque-
antur.

CAPVT LII.

Infelicitatem ante dictis adijciam qua
plectuntur auari plusquam barbari. In
medio diuitiarum suarum cruciabuntur in
inferno, illuc in corpore & anima à Demo-
nibus translati. Hoc indicauit Spiritu San-
cto inspirante D. Iacobus inquit: *Aurum* cap. 5.
& argentum vestrum eruginauit, & erugo
eorum in testimonium vobis erit, & mandu-
cabit carnes vestras, sicut ignis. Nec desunt
exempla quibus id comprobemus. Vincē- in spec. moral.
tius refert decrepitam quandam mulie-
rem, auaram supra modum, thesaurum cu-
mulasse, illumque fictilibus vasis imposi-
tum terræ mandasse, Quæ cum mortua fu-
isset nulla facta legatione, oblatus est the-
saurus Episcopo, qui renuens accipere di-
xit: *peccunia tua tecum sit in perditionē.* No- Act. 8.
cte igitur sequenti audita est vox erumpēs
è la-

Seri-
tudia
era

è latebris sepulchri & dicens. *Vror, & crucior.* Panditur sepulchrum, & in ore ipsius aurum argentumque bulliens inuentum est. Vnde facile colligi datur, eam in thesauri medio cruciari. Ita fiet igitur homini auaro quemadmodum Crasso factum est. Nam dum auri cupidus, atque infatiabilis habendi appetitus esset, cogitur aurum feruens absorbere. Sic fiet homini infatiabili. Qui enim pauperibus sua negauit, quique indigentibus sua noluit distribuere, in maximis tormentis cogetur eadem deglutire. Nec ab hac opinione discedit D. Augustinus, qui refert Diuitem quendam auarum, visibiliter in corpore & anima à Dæmonibus cum thesauro in infernum raptum fuisse. Neque etiam discrepat Ioannes Benedicti in summa cum ait: *Aurum igne gehennali liquatum, erit pœna sensus miseris auaris, ut opinantur aliqui.* Et hæc quidem dicta sufficiant. Huic priori nostri operis particoronidem imponamus decantantes illud psalmistæ contra Immisericordes: *Fiant filij eius orphani. & uxor eius vidua; nutantes transferantur filij eius & mendicent, & eijciantur de habitationibus suis. Scrutetur fenestrator omnem substantiam eius, & diripiant alieni labores eius. Fiant nati eius in interitum,*


*Serm. 69. ad
frat. in eremo.*

*tum, in generatione una deleatur nomen eius;
pro eo quod non est recordatus facere Misericordiam. Estote ergo Misericordes, vt Misericors Deus, Misericordiæ nostræ recordatus, Misericordiam faciens, nobis tribuat gaudia sempiterna Amen.*

F I N I S.





SA-




Miserere
condicio
natura

















OIV

9.6

Th

3179

Miseri-
cordia
opera